AUTHOR:

JACHMANN, GUNTHER

TITLE:

DE ARISTOTELIS DIDASCALIIS...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1909

Master Negative #

93-81414-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jachmann, Günther, 1887-
De Aristotelis Didascaliis. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Guntherus Jachmann.
Gottingae, officina Academica Dieterichiana, 1909.
60 p. 22½ cm.

Thesis. Göttingen. 1909



Vol. of theses.

161277

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/17/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management



1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
ARISTOTELIS DIDASCALIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

GUNTHERUS JACHMANN 1887-

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMIX

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt F. Leo et E. Schwartz.

Examen rigorosum habitum est a. d. III non. Mart. a. MCMIX.

Aristotelis liber, cui inscripsit διδασκαλίαι, quid sibi voluerit, primus Casaubonus ad Athen. VI 235e (in Schweighaeuseri animadversionum vol. III p. 370sqq) locis quibus διδασκαλίαι apud scriptores antiquos afferuntur adhibitis in universum recte ostendit. Tamen multa manserunt dubia, et novae exstiterunt quaestiones, quas solvere ad cognoscendam historiam poesis scaenicae Atticae necnon antiquam doctrinam ad litterarum historiam pertinentem multum intererat. Qua in re homines docti vario successu operam collocaverunt. Lux autem his studiis tum demum affulsit, cum inscriptiones Atticae ad certamina scaenica pertinentes crebriores repertae sunt. Quae quantum ad historiam scaenicam Atticam illustrandam contulerint, non est quod commemorem, sed etiam alia ex parte magni erant momenti. Ab initio enim necessitudinem quandam inter titulos illos et Aristotelis opera didascalica intercedere agnoverunt viri docti[1]).

Et primo quidem Aristotelem ex inscriptionibus illis hausisse putaverunt[2]). Quae sententia stare non poterat: primum enim Aristotelis liber uberior fuit quam inscriptiones (v. infra); tum Aristoteles talium studiorum ad historiam litterarum pertinentium auctor erat isque haec monumenta historica collegit et edidit, ut fundamenta partis philosophiae,

1) cf. Boekh. CIG I p. 350.

2) cf. Koehlerus, Mitteil. des archäol. Inst. in Athen. 3, 111. 131.

quae universas res litteras scientias complecteretur, iaceret, consilio non diverso ab eo quo civitates historiam animalium signa caelestia tractavit.

Itaque inde a Bergkio[1]) sententia virorum doctorum ea est, ut inscriptiones didascalicas ex Aristotelis libro originem ducere censeant. Quae sententia eo quod Pythionicarum recensum ab Aristotele et Callisthene confectum Delphis lapidi insculptum esse ex titulo Delphico[2]) comperimus, firmatur[3]), atque Adolphus Wilhelmus in libro suo, cui inscripsit Urkunden dramatischer Aufführungen in Athen (Sonderschriften des österreich. archäol. Instit. vol. VI. Vindobonae 1906), haec scripsit (p. 5): ihm (E. Reischium dicit) gebührt das Verdienst, die Abhängigkeit der inschriftlichen Listen, so weit sie die ältere Zeit betreffen, von den Forschungen des Aristoteles, die bereits von Kumanudis, Köhler, v. Wilamowitz, Capps und E. Preuner angedeutet war, auf Grund der Erkenntnis, welche wir für Aristoteles' und Kallisthenes' Verzeichnis der Pythiensieger dem glücklichen Funde einer Inschrift in Delphi verdanken, mit aller Bestimmtheit ausgesprochen zu haben.

Et Wilhelmus quidem titulos illos egregia doctrina usus edidit et tractavit, de ipsis autem didascaliis Aristotelicis ad ea quae scripsit Reischius[4]), quod adderet se habere negavit (p. 5. 34. 35). Tamen ego nunc tam firmo iacto fundamento materia tanto opere aucta — idque imprimis Wilhelmi cura — plura et certiora de opere illo Aristotelico investigari posse puto, atque ea quidem ratione adhibita,

1) opusc. II 469.

2) Homolle. BCH 22,260. Dittenbergeri Syll. inscr. Graec.[2] 915.

3) v. 10 *ἀνα[θεῖν]αι δὲ τὸν πίν[ακα το]ὺς ταμί[ας ἐν τῶι ἱε]ρῶι με[ταγεγραμμέν]ον [εἰς στήλην . . . .*

4) Pauly-Wissowa Realencyclopaedie s. v. *διδασκαλίαι* (V 1, 395 sqq.).

ut quae de Aristotelis libro per universam scriptorum veterum memoriam et per lapides illos discere possumus, quam artissime coniungamus et semper mente teneamus opus illud Aristotelicum antiquis viris doctis litterarum historiae Atticae studiosis principale fuisse doctrinae fundamentum et fontem.

Sententiae autem illi de origine didascaliarum lapidibus incisarum[1]) Aristotelica ego quoque adstipulor, quamquam me non fugit potissimum huius commentationis fundamentum certis argumentis fulciri non posse. Tamen ne sic quidem eam proponere inutile esse duxi, utpote qui sperem aliquantum eam collaturam esse ad solvendas quaestiones quasdam saepenumero eadem thesi proposita institutas nusquam ad finem perductas.

Quodsi inscriptionum didascalicarum hanc esse rationem sumimus, sequitur, ut veterum quoque — *παλαιάς* dico — fabularum, item histrionum mentiones ex Aristotelis didascaliis haustas esse censeamus. De veterum fabularum commissionibus certiorem fieri ad cognoscendam theatri Attici historiam sane intererat, histriones autem Aristotelem non praetermisisse ex iis quae infra de eius didascaliis discemus, etiam verisimilius videbitur. Quaecumque igitur didascaliis lapidibus incisis continentur ex Aristotelis didascaliis ducimus, nec tamen ut tabulam Delphicam Pythionicarum exemplar sive *μεταγραφήν* illius libri Aristotelici has esse putamus, quoniam ex Harpocratione s. *διδάσκαλος·*

1) Didascalias lapidibus incisas vel per lapides traditas vel inscriptiones didascalicas eas dico inscriptiones quas Wilhelmus tractavit capite II; eas quas Wilhelmus tractavit capite I, praeeunte Wilamowitzio (GGA 1906, 614) fastos, tertium ordinem (Wilhelmus cap. III) victorum catalogos nomino. Nomine titulorum agonisticorum in universum maximamve partem eos inscriptionum ordines quos Wilhelmus tractavit capitibus I—V, comprehendo.

ὅτι γὰρ Πανταχλῆς ποιητής, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις et scholiasta ad Aristophanis Aves 1379 ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις δύο (Κινησίας) φησὶ γεγονέναι Aristotelis didascalias lyricorum quoque chororum certamina complexas esse novimus. Immo hic statim monitum volo didascalias per lapides traditas ex Aristotelis didascaliis non tam descriptas quam excerptas esse.

Sed haec statuisse non satis est. Ad illustrandam enim quam accuratissime libri Aristotelici naturam non modo, quae inter didascalias per lapides traditas et didascalias ab Aristotele confectas intercedat ratio, ostendendum, sed etiam argumentis demonstrandum est, quomodo Aristoteles auctore suo i. e. iis quae in archontis eponymi tabulis de musicis certaminibus scripta invenisset, usus sit. Maxime autem ad hanc quaestionem pertinet, ut solvatur tandem illa quaestio, quae non in hac tantum re summi est momenti, scilicet tradideritne Aristoteles, cum fabula quaedam non ab ipso poeta, sed ab alio quodam docta esset, poetae an magistri an utriusque nomen.

Quae quaestio quam intricata sit, vel inde perspicitur, quod viri docti de ea valde dissenserunt et dissentiunt [1]). Itaque ne nos quidem brevi rectaque via, sed magno circuitu ad huius quaestionis finem perveniemus. Nam quae inscriptionum didascalicarum, quas ex opere Aristotelico haustas esse credimus, ratio fuerit, recta explorari nequit propter exiguitatem materiae: ad ea tempora quorum de poeseos scaenicae historia accuratius edocti sumus, ex titulis illis nullus spectat nisi tituli 972 (p. 51 W.) altera pars.

Itaque cum fasti et victorum catalogi condicione aliquanto meliore sint, primum, quae horum ordinum ratio

1) Commentationum de ea re scriptarum magnam partem attulit Wilhelmus p. 111. 112.

sit, investigemus, tum ad inscriptiones didascalicas accedamus.

Initium sumatur a fastis, quorum ratio facilis esse perspectu videtur.

Titulus enim 971 d editus a Wilhelmo (Anzeiger d. Wien. Ak. philos.-hist. Kl. 43 (1906) p. 77 sqq) Ararotem comicum a. 387 vicisse refert. Cum autem Suidas s. Ἀραρώς eum olymp. 101 (a. 375—372 a. Chr. n.) primum fabulam commisisse tradat, Aristophanem autem post Pluti alterius commissionem duas fabulas — Κώκαλον et Αἰολοσίκωνα — docendas ei mandasse constet ex Aristoph. Plut. arg. IV Dbn., Ararotis nomen propter victoriam patris fabula partam in illo titulo exstare Wilhelmus conclusit.

Quam argumentationem impugnavit Cappsius [1]), cui tamen mea quidem sententia non omnia prospere cesserunt. Primum enim contra Wilhelmi opinionem non illud afferri potest (Cappsius p. 189—198), quod Suidas Ararotis commissiones ipsius fabulis et patris fabulis factas discernere non potuerit, nisi in didascaliis haec distinctio facta esset. Neque enim ipse Suidas ex Aristotelis didascaliis hausit, sed ex compilationibus confectis ab hominibus qui studiis litterariis virorum vere eruditorum usi erant. Qui viri vere eruditi, quippe qui in didascaliis Ἀραρὼς Κωκάλῳ legentes Cocalum non ipsius Ararotis fabulam fuisse non ignorarent, facile inter Ararotis commissiones fabularum a patre vel ab ipso factarum distinguere potuerant. Itaque nihil habet miri, quod Suidas Ararotem ol. 101 primum commisisse alicubi invenit, quamquam nomen eius in didascaliis iam antea apparuerat.

Tum Cappsius (p. 192) testimonio Ar. Plut. arg. IV τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς

1) A[merican] J[ournal of] P[hilology] 28 (1907) p. 187 sqq.

βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι᾽ ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα (cf. vita Aristoph. p. XXVIII 76. 36 Dbn) haud recte utitur. Unde enim quisquam scire poterat, quo consilio Aristophanes fabulas illas Araroti docendas mandasset? Qua de re certe nihil traditum erat, sed grammaticus aliquis causam excogitavit Chremyli in Ar. Plut. 35 verbis usus[1]). Ergo cum testimonio illo ita utendum sit, tamquam nihil traditum sit nisi Aristophanem Cocalum et Aeolosiconem Araroti docendas dedisse, nihil habemus, cur rationem inter Aristophanem poetam et Ararotem didascalum aliam fuisse credamus atque inter Aristophanem et Callistratum sive Philonidem. Ceterum vix est, quod addam omnino mihi valde improbabile videri Aristophanem, cuius poeseos indoles Atheniensibus tum procul dubio notissima erat, fabulas illas quasi ab Ararote scriptas publici iuris fecisse.

Denique accedit, quod ne sic quidem Cappsio contigit, ut tituli 971 d interpretationem inveniret, quae cum numero a Suida tradito consentiret, sed apud Suidam *ϛη′* pro *ϱα′* scribere coactus est (p. 199).

Quae cum ita sint, Wilhelmi interpretatio illius tituli praeferenda mihi videtur. Habemus igitur certum testimonium, quo in fastis non poetae, sed magistri nomen exstitisse docemur. Sed hoc tantum de fastis compertum est. Nam quod neque a Cappsio neque ab aliis fere factum esse video, accurate discernenda sunt acta archontis, fasti, victorum catalogi, didascaliae lapidibus incisae, didascaliae Aristotelis. Quo iure, quaeso, viri docti nihil, quod ad rationem quae est inter poetam et magistrum attinet, differre sumpserunt fastos, victorum catalogos, archontis tabulas, Aristotelis didascalias? Quo iure interpretationem tituli

1) Leo, Plaut. Forsch. 63.

971 d, qui ex fastis saeculo IV exstructis est, inde pendere, utrum in inscriptione 977 e 8, quae ex didascaliis saeculo III lapidibus incisis est, *Ἀρι[στοφάνης* an *Ἀρι[στομένης* supplendum sit?[1]). Fortasse iure haec fiunt, sed desidero, ubi examinata, perquisita, quoad fieri potest demonstrata sint. Quodsi quaerentibus nobis haec vera videbuntur, ne fugiamus quae inde consequantur agnoscere.

Sed priusquam ad illam quaestionem adhuc neglectam accedamus, eadem quaestio, quam modo de fastis instituimus, de victorum catalogis instituenda est, sed ita, ut ex iis quae de fastis explorata sunt, nullum de victorum catalogis argumentum ducatur. Quae de victorum catalogis quaestio eo redacta est, ut pro soluta habenda sit, si exploraverimus, sitne in Dionysiacorum victorum comicorum catalogo 977 col. II l. 7 (p. 107 W.) *Ἀρι[στοφάνης* an *Ἀρι[στομένης* supplendum. Lenaicorum enim victorum catalogi locus ad hanc causam pertinens mutilatus est (997 i 12 sqq. p. 123 W.). Et ut statim dicam, mihi quidem constat non *Ἀρι[στοφάνης*, sed *Ἀρι[στομένης* in catalogo Dionysiaco supplendum esse. Sed sola annorum victoriarumque computatione rem ita ad liquidum perduci posse, ut etiam Cappsius cuius contraria sententia est[2]) assentiatur, despero. Nam hac quidem ex parte ad ea quae Wilhelmus[3]) exposuit haud multa habeo quae addam. Primum enim Dobraeus in Anonymo *περὶ κωμωιδίας* p. 8, 32 K. *ἐπὶ Θεοδώρου* pro *ἐπὶ θεάτρου* recte mihi videtur coniecisse. Nam auctorem huius tractatus, qui rarissima doctrina scatet, de Pherecrate certum annum non exhibuisse ne Cappsius quidem credit. Itaque cum *θεάτρου* ex archontis cuiusdam nomine corruptum esse

1) cf. Cappsius l. l. p. 187 sqq. 193. 198.
2) AJP 28, 194 sqq.
3) Urkunden p. 111 sqq.

pateat, nullum aptius videtur quam *Θεοδώρου* (a. 437). Cappsius (p. 197) nomen *Πυθοδώρου* (a. 431) probabilius ducit, sed ipse in catalogo a se confecto (p. 195) Pherecratem a. 435 primum vicisse calculo efficit. Et revera, quomodo longum inter Calliae primam victoriam a. 446 reportatam et Pherecratis, ut opinatur, a. 431 partam spatium expleat, non video. Inter Euphronium enim (a. 458) et Pherecratem (a. 431) explendi essent anni viginti sex. Lysippus secundum Cappsium, qui eum ante Pherecratem supplet, ante a. 431 semel vicit[1]), Ecphantides Cratinus Diopithes Crates Callias Teleclides ....]ς unam et viginti victorias reportaverunt. Uni igitur ignoto illi poetae qui col. II locum tertium obtinuit, non tam nobili, ut videtur, quattuor victoriae essent tribuendae eaeque ante a. 431 partae, ut efficerentur anni viginti sex. Sed ne sic quidem computatio recte se haberet. Unam enim ex Cratini victoriis anno 423 demum partam esse scimus (Ar. Nub. arg. V), neque de aliis aliorum poetarum victoriis post a. 431 reportatis dubitare possumus. Iam apparet in Anonymi verbis non *ἐπὶ Πυθοδώρου*, sed *ἐπὶ Θεοδώρου* ponendum esse. Si vero Pherecrates a. 437 primum vicit, illum poetam qui secundum post eum locum obtinet anno demum 426 — id est undecim annis post — primum vicisse plane incredibile est.

Accedit aliud. Suidas s. *Ἀριστομένης* haec tradit: *κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, οἳ ἦσαν ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν, ὀλυμπιάδι* (*ὀλυμπιάδων* codd.) *πζ'* (a. 431—428). Quo ex testimonio olympiadem octogesimam septimam Aristomenis epocham fuisse colligo. Et possunt referri eiusmodi testimonia aut ad primam poetae commissionem aut ad primam victoriam Dionysiis vel Lenaeis reportatam. Alterum ex his usitatissimum est. Sed videamus, quid de Aristomene hoc sibi velit. Lenaicorum victorum catalogo 977 i 5 (p. 123 W.) Aristomenis primam commissionem et victoriam Lenaicam ante olympiadem octogesimam septimam fuisse docemur[1]). Restat igitur nihil nisi prima victoria Dionysiaca ad quam referamus illud Suidae; et hoc tam bene quadrat ad annum quem Wilhelmus Suidae testimonio non adhibito de *Ἀρι-* illo exploravit, ut, quin recte *Ἀρι[στομένης* suppleverit, dubitandi locus non iam relictus esse mihi videatur.

1) Cappsius, Classical philology 1 (1906) p. 211. 219.

Denique sententia Cappsii, qui (p. 195) Aristophanem Dionysiis anni 426 i. e. Babyloniorum fabula vicisse vult, etiam aliam ob causam dubitationes movet quam gravissimas. Etenim si Aristophanes ea ipsa fabula quam primam Dionysiis commisit, victoriam reportasset, tanto de successu sane edocti essemus, si non aliunde, certe per Aristophanem ipsum. Ubicumque autem Aristophanes de fabularum suarum fatis loquitur — parabases dico Equitum Nubium Vesparum Pacis — nihil de victoria tam praeclara audimus. Imprimis vero ex Acharnensium parabasi (630 sqq) plane alia intellegimus. Quo loco Aristophanes Babyloniorum fabulam ab ipso Atheniensium populo defendit, et multum abest, ut Babylonios magistratibus tantum displicuisse, multitudini autem probatam esse intellegamus. Quod si factum esset, contra Cleonis incusationes ad populum provocasset, non, ut facit, ipsis Atheniensibus comoediae suae virtutes ostendere voluisset. Babylonios igitur potius tertias quam primas tulisse coniciam, id quod propter multa quae in hac fabula Atheniensibus vitio dederat[2]), nihil haberet miri. Ergo a. 426 Dionysiis Aristophanem vicisse

1) cf. Cappsius AJP 28, 188.
2) cf. Bergk. apud Mein. FCG II 2, 968 sqq.

non modo aegre, sed omnino non credere possumus, id quod maxime premendum mihi videtur, cum Wilhelmus quoque (p. 113) de Babyloniorum fabula victrici cogitat.

Annus vero 425, de quo Cappsius cogitat p. 198, etiam minus propter catalogi rationem — duodecim enim annis abest ab a. 437, quo Pherecrates primum vicit — in censum venire videtur quam annus 426.

Quibus argumentis omnibus adducor, ut *Ἀρι[στομένης*, non *Ἀρι[στοφάνης* supplendum esse censeam, titulum autem IG XIV 1097 a Cappsio[1]) quamvis subtiliter et argute, tamen ea ex parte qua nullam Aristomeni victoriam Dionysiacam tribuit, falso esse restitutum equidem persuasum habeo. Est enim huius frustuli marmoris condicio propter exiguitatem tam misera, ut ipsum Aristomenis nomen incertum videatur.

Sed omnia haec corruerent, si Cappsius[2]) Aristophanis nomen propter victoriam titulo choregico IG II 5, 1280b traditam in victorum Dionysiacorum catalogo postulari recte contendisset. Et titulus quidem hic est:

Γνάθις Τιμοκήδος Ἀναξανδρίδης Τιμαγόρο
χορηγοῦντες κωμωιδοῖς ἐνίκων
Ἀριστοφάνης ἐδίδασκεν
ἑτέρα νίκη τραγωιδοῖς
Σοφοκλῆς ἐδίδασκεν.

Primum autem quae Cappsius[3]) de synchoregia exposuit, tituli huius recte ratione habita possintne iam stare, dubito. Synchoregiam enim anno 398 abolitam fuisse ex inscriptione 971d comperimus. Sophocles maior anni 405 mense Gamelione, quo Aristophanis Ranae data est, mortuus erat,

---

1) Class. philol. 1, 219.
2) AJP 28, 89.
3) AJP 28, 180sqq.

Sophocles minor teste Diodoro XIV 53, 6 (ad ol. 95, 4 = a. 396) *ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Σοφοκλῆς ὁ Σοφοκλέους* (sic) *τραγωιδίαν διδάσκειν ἤρξατο* post a. 398 committere coepit. Ergo victoria illa tragica inscriptione 1280b relata ad nullum alium annum referri potest nisi ad a. 401, de quo habemus testimonium Sophoclis OC arg. *τὸν ἐπὶ Κολωνῶι Οἰδίπουν ἐπὶ τετελευτηκότι τῶι πάππωι Σοφοκλῆς ὁ υἱιδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος, ὅς ἐστι τέταρτος ἀπὸ Καλλίου, ἐφ' οὗ φασιν οἱ πλείους τὸν Σοφοκλέα τελευτῆσαι. σαφὲς δὲ τοῦτ' ἐστιν ἐξ ὧν ὁ μὲν Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς Βατράχοις ἐπὶ Καλλίου κτλ.* Constat igitur Sophoclis Oedipoda Coloneum Dionysiis anni 401 primo praemio coronatam esse. Synchoregiam autem non annis 405 et 404 tantum, sed minimum usque ad a. 401 viguisse patet[1]). Praeterea cum duobus continuis annis ut choregiam praestaret, nemo cogi posset[2]) — quam legem etiam synchoregiae temporibus valuisse consentaneum est, si quidem ea sublata nihil synchoregia ad onera publica levanda contulisset — vel inde, quod iidem homines plus semel munere choregico functi sunt, synchoregiam non minus quam tres annos viguisse concludendum est.

Abolita est synchoregia aut a. 400 aut a. 399, et nunc habemus quo referamus illud scholiastae ad Ar. Ran. 404 *χρόνωι δ' ὕστερον οὐ πολλῶι τινι καὶ καθάπαξ περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας*[3]). Bonus enim auctor sub scholio illo latet, cum ea quae tradit Anonymus de Aristoph. vita p. XXVIII 71sqq Dbn. partim falsa sint et perturbata,

---

1) Ex Lys. 21, 4 ideo quod synchoregi mentio non fit, synchoregiam iam a. 402 abolitam fuisse colligi non posse Reischius monuit RE III 2, 2416, 28 (apud Wilhelmum p. 116).
2) Aristot. *Ἀθην. πολ.* 56, 3.
3) cf. Meinekius hist. crit. p. 42.

partim ex solo Aristophanis fabularum statu derivata. Synchoregia fortasse eam ob causam abolita est, quod non satis multi homines divites inveniebantur, et Cinesias auctor videtur fuisse legis, qua sanciretur, ut singuli choregiam praestarent, sumptus autem minores facerent.

Porro quod ad Aristophanis victoriam titulo illo traditam attinet, victoriae tragicae Sophoclis tempore eam antecessisse ex ordine in lapide servato apparet. Et plus uno anno eam priorem fuisse et ex eo efficitur quod modo de choregia ab iisdem hominibus suscepta dixi, et inde quod Dionysiis a. 402 Cephisodotum comicum vicisse demonstrari potest. Cum vero Aristophanes Lenaeis a. 405 Ranas dederit neque eodem anno duas fabulas commisisse eum probabile sit (quamquam ne id quidem praefracte negari potest), restant Dionysia[1]) annorum 404 et 403 ad quae referamus illud testimonium[2]).

Tamen ipsam Cappsii linearum computationem (p. 183) impugnare me non posse concedo. Sed aliud est quod obstat Cappsii sententiae, secundum quam synchoregia tantum annis 405 et 404 viguerit. Nam praeter Oedipum Coloneum aliam Sophoclis tragoediam postumam datam esse ignoramus, et vix credere possumus Sophoclem plures fabulas postumas reliquisse quam ut in unam trilogiam vel tetralogiam coniunctae uno die festo committi possent. Euripides, qui ante mortem per aliquod tempus in Macedonia vixerat, tres reliquit fabulas Athenis nondum datas, et eae uno die festo Athenis in scaenam commissae sunt (schol. Ar. Ran. 67). Cur non item Sophoclis duae vel tres, si

1) Verba scholiastae in Ran. 404 *ἴσως ἦν τις καὶ περὶ τὸν Ληναικὸν ἀγῶνα συστολή* confirmant *ἐν ἄστει* tantum *σύνδυο χορηγῆσαι.*

2) Ad Sophoclis Oedipodis Colonei commissionem titulum illum rettulit etiam P. Foucartius, Journ. des Savants 1907 p. 475.

quidem tam multas reliquisse eum putamus?[1]) Et si quando illam victoriam tragicam revera ad Oedipodis Colonei commissionem referendam esse appareat, id summi fuerit momenti ad iudicandum, quanti illa linearum computatio aestimanda sit.

Sed quomodocumque haec de synchoregia quaestio solvenda est, id quidem constare videtur Aristophanis nomen propter victoriam inscriptione 1280b traditam in catalogi Dionysiaci (p. 107 W.) col. III post l. 4 suppleri non posse. Cephisodotus enim comicus propter victoriam Lys. 21, 4 commemoratam in Lenaicorum victorum catalogo (p. 123 W.) col. II post l. 12 locum habuisse nequit. Quod quamquam ex Cappsii catalogo in universum procul dubio recte instituto (p. 188) intellegi potest, tamen quae Cephisodoti nomen col. II l. 13 supplere prohibeant, breviter exponam.

Institutum est certamen comicorum Lenaicum non ante a. 447. Eupolis enim vicit non ante a. 427[2]). Explendi igitur sunt inde a certaminis initio usque ad a. 402 anni quadraginta quinque. Principes novem poetae tres et viginti pepererunt victorias easque haud dubie ante a. 402. Restant igitur anni viginti duo explendi victoriis poetarum duodeviginti. Sed in horum numero poetae nobilissimi fuisse putandi sunt velut Aristophanes (sive eius didascali) et Plato, qui certe multas victorias ante a. 402 reportaverunt. Etiam Metagenem Theopompum Polyzelum (col. II 2. 3. 4)

1) Ceterum Oedipum Coloneum solam i. e. non cum aliis Sophoclis tragoediis postumis datam esse pro certo affirmari nequit. Sed quin fieri potuerit, ut una tantum tragoedia aliquis certaret, ratione habita tituli 972 (p. 51 W.), quippe quo Lenaeis interdum non plenis trilogiis certatum esse doceamur, dubitare non possumus. Et quod Lenaeis omnino, id certe tali occasione Dionysiis quoque fieri poterat.

2) Cappsius l. l. p. 186.

plus semel vicisse videmus. Praeterea cum viginti victorias illas principum octo poetarum ad unam omnes ante a. 427 — si Eupolidem a. 427 primum vicisse putamus — reportatas esse nequaquam verisimile sit, certamen Lenaicum aliquot annis post 447 institutum esse censendum est. Iam nomen Cephisodoti propter victoriam a. 402 partam in col. II post l. 12 non posse suppleri apparet. Optime autem ad annum 402 quadrat locus, quem Cephisodotus in Dionysiacorum victorum catalogo (p. 107 W. col. II 3) obtinet (cf. Cappsius p. 195 [1])). Itaque ob ipsam illam victoriam apud Lysiam commemoratam Cephisodotus hunc locum videtur obtinuisse, praesertim cum poeta tam ignobilis plus unam victoriam Dionysiacam vix pepererit. Tum autem Aristophanis nomen propter victoriam a. 405 sive 404 sive 403 reportatam post . . . ι (col. III 4) non posse suppleri in propatulo est. Quod Cappsius recte contendit. Sed quid inde sequitur? Ex iis quae Aristophanis nomen col. II 7 suppleri vetant id sequitur, Aristophanem fabulam illam primo praemio coronatam non ipsum docuisse, sed alii docendam mandasse. Quod tamen non magistri, sed veri poetae nomen in titulo choregico legimus, habemusne cur miremur? Me quidem iudice minime.

Reischius [2]) enim choregum certaminis scaenici victorem, ut donum quoddam dedicaret, nullo modo coactum fuisse docuit, sed utrum omnino aliquid dedicaret necne, et cuius formae anathema instrueret, ipsius fuisse arbitrii. Nihil igitur habet miri, quod in titulo choregico fabulae victricis

1) Cappsius in catalogo suo illum Ἀρι — a. 426 vicisse vult, ego (cum Wilhelmo) a. 430 vel 431, sed sequentes decem poetae haud minus facile duodetriginta vel undetriginta quam viginti quattuor annos occupasse possunt.

2) Griechische Weihgeschenke. Abhandl. d. archaeol.-epigraph. Sem. Wien. 1890. VIII p. 116 sqq.

per alium commissae interdum non magistri sed veri poetae nomen invenimus. Quod autem ad verbum quod est *ἐδίδασκε* attinet — nescio enim an quis hoc verbo *διδάσκαλον* significari necesse esse affirmet — solemnis est formula conservata ex iis temporibus, quibus revere nihil intererat inter eum qui *ἐπόησε* et eum qui *ἐδίδασκε* [1]). Historia igitur huius inscriptionis haec fere fuisse potest: Gnathis et Anaxandrides Eleusini, cum a. 405 vel 404 vel 403 *ἐν ἄστει* munere choregico functi vicissent, Athenis fortasse tabulam (*πίνακα*) vel simile quid in Dionysii templo dedicaverunt; anno autem 401 cum iterum vicissent, Athenis fortasse idem fecerunt, in patrio vero pago — Eleusine enim reperta est basis hac inscriptione instructa — tantorum successuum magnificentius monumentum exstruxerunt, atque id quidem aliquot annis post comicam illam victoriam [2]). Et cur in monumento non pro ignobilis magistri nomine nobilissimi poetae substituerent nomen? Qui docuisset fabulam, nullius ex iis qui hanc inscriptionem legerunt, scire intererat, sed qui scripsisset. Iam apparere mihi videtur ex hoc titulo comoediam illam ab ipso Aristophane doctam esse colligi non posse, neque iam habemus, cur Aristophanis nomen in Dionysiacorum victorum catalogo desideremus. Sic supremus scrupulus, qui ne *Ἀρι[στομένης* suppleremus impedire nos poterat, evulsus est, et demonstratum est in victorum catalogis, quatenus ad saeculum quintum pertinent, non poetae sed magistri nomen exstitisse, quam fastorum quoque rationem fuisse supra vidimus.

Alia victorum catalogorum ratio erat, quatenus ad tem-

1) Ipse Cappsius l. l. p. 184 adn. 2 verbis *Σοφοκλῆς ἐδίδασκε* Sophoclem maiorem mortuum significari putat.

2) Ita fere factum esse fingere possumus, si victoriam tragicam ad a. 401 referimus, nec multo aliter, si Cappsii sententiam sequimur.

pora inde ab anno fere 380 pertinent. Quae mutata ratio inde cognoscitur, quod victoriae ab Aphareo tragico fabulis non ab ipso sed a Dionysio quodam doctis reportatae [1]) in victorum tragicorum catalogo 977 b 12 (p. 101 W) non Dionysio sed Aphareo adscribuntur. Quam mutationem post a. 380 factam esse Wilhelmus (p. 114) statuit. Infra de ea plura dicenda erunt, nunc satis habemus exquisivisse, quae fuerit fastorum victorumque catalogorum ratio, quod ad poetarum vel magistrorum nomina referenda attinet.

Eadem autem quaestio nunc de didascaliis in lapides incisis solvenda instat. De quibus, cum maxima ex parte ad tempora pertineant ex quibus ad nos litterarum historiae perexigua notitia pervenit, investigare nihil possumus, nisi forte inscriptiones didascalicas sive cum fastis sive cum victorum catalogis ita conexas esse ostendi potest, ut eandem quam fastorum et victorum catalogorum fuisse vidimus rationem, in didascalias lapidibus incisas cadere consequatur. Hunc conexum revera inter didascalias per lapides traditas et victorum catalogos intercedere existimo. Quorum titulorum ordo uterque eodem tempore, initio saeculi tertii, exaratus est, et victorum catalogos ex inscriptionibus didascalicis excerptos esse quivis videt [2]). A. Koertius [3]) victorum catalogos *μεταγραφήν* esse libri Aristotelei *Νῖκαι Διονυσιακαὶ ἀστικαὶ καὶ Ληναικαί* inscripti affirmavit, non

1) Auctore Plutarcho figurato in Vita X oratorum p. 839 c *Ἀφαρεὺς . . . . ἀρξάμενος ἀπὸ Λυσιστράτου* (369/8) *διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους* (342/1) *ἐν ἔτεσιν εἰκοσιοκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἕξ, καὶ δὶς ἐνίκησε διὰ Διονυσίου καθεὶς καὶ δι' ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναικάς.*

2) cf. Wilamowitzius GGA 1906, 617.

3) Classical philology 1, 391 sqq. cf. Wilhelmus Urkunden p. 257.

demonstravit, nam demonstrari nequit [1]). Sed haec de Aristotelis *Νίκαις* quaestio ad nos nunc haud multum pertinet. De victorum catalogis autem sic stat sententia: si opus Aristoteleum sunt, eo verisimilius est Aristotelem hos catalogos quomodocumque consilio vel iussu conficiendos ex ipsius didascaliis excerpsisse. Id enim quemvis concessurum esse arbitror Aristotelem, cum talium studiorum initium faceret, haud dubie statim opus ad studia litteraria singularem in modum utile — *διδασκαλίας* dico — conficiendum adisse, non antea victorum catalogos, quos ex ipsis archontis tabulis colligere operae fuisset haud parvae, pretii sane quam exigui [2]). Sin victorum catalogos eo demum tempore quo lapidibus incisi sunt confectos esse putamus, ne tum quidem quicquam probabilius est quam auctorem eo opere usum esse quo omnia quibus opus erat continebantur, inscriptiones didascalicas dico sive harum fontem didascalias Aristoteleas. Haec sunt quae me movent, ut didascalias lapidibus incisas in nominibus sive poetarum sive magistrorum referendis a victorum catalogis non differre credam. Itaque ad id quod quaesitum est hoc respondendum esse arbitror: didascaliae lapidibus incisae usque ad a. fere 380 magistrorum nomina tradiderunt, inde ab hoc tempore ratio earum eum in modum immutata est, ut poetarum nomina traderent. Cuius rationis vestigium in inscriptione 972, 12. 14 (p. 51 W) servatum invenire mihi videor. Qui titulus Diodorum comicum Diotimo archonte (a. 286) binis fabulis in certamen descen-

1) cf. Wilamowitzius l. l.

2) Affero iudicium Reischii (Zeitschr. f. oest. Gymn. 1907, p. 313): für literarhistorische Zwecke ist der Katalog so gut wie wertlos, da er kein einziges bestimmtes Datum an die Hand gibt und auch für die relative Chronologie der Dichter keine ausreichende Grundlage schafft. Er ist überhaupt nur verständlich im Zusammenhang mit datierten Aufführungslisten.

disse tradit, quod valde improbabile videtur. Hilleri [1]) autem opinionem, secundum quam duo fuerint poetae cognomines, nemini probari non est mirum, deficiente scilicet additamento quo discernantur [2]). Sed alio modo difficultatem tolli posse existimo. In inscriptiones didascalicas enim inde ab a. fere 380, cum fabula quaedam non per ipsum poetam sed per alium docta esset, poetae tantum nomen relatum esse ex hoc ipso titulo intellegimus: Diodorus alteram fabulam ipse, alteram per alium quendam, cuius nomen titulus non exhibet, commisit [3]).

Nunc tandem, scilicet perspecta ratione eius inscriptionum seriei quam ex Aristotelis didascaliis originem ducere omnes consentiunt, parati sumus ad eandem quaestionem de ipso opere Aristoteleo eiusque fonte, archontis actis, instituendam. Quodsi de Aristotelis didascaliis quicquam revera probare volumus, recte nobis utendum est iis quae de titulis agonisticis exploravimus. Neque enim tam simpliciter res se habet, ut, quod ad hanc de poetis et magistris quaestionem attinet, Aristotelis didascaliarum archontumque tabularum ratio plane eadem quae titulorum agonisticorum fuisse putanda sit, neque Cappsius plane idem, quod de fastis victorumque catalogis demonstrasse sibi visus erat, de archontum tabulis sumere debebat [4]). Et profecto, si ex iis quae adhuc exposuimus nihil aliud colligendum esset nisi in Aristotelis didascaliis et in archontis tabulis ad saeculum

1) Philol. Anzeiger XVII 75 p. 379 adn. 1.

2) Wilhelmus p. 61.

3) Eundem in modum fortasse tit. 975 h (p. 81 sqq. W) interpretandus est, sed mihi quidem admodum obscurus videtur. Quid sibi vult — *ακοντα* (l. 2)?

4) Cappsius l. l. p. 187 de »official recognisance in the award« et de »mention in the decision of the judges« loquitur. Qua de re nihil scire possumus praeter id unum, quod mihi clarum

V pertinentibus magistri, ad saeculum IV pertinentibus poetae nomen traditum fuisse, totam quaestionem instituisse vix tanti fuisset. Neque enim Cappsio ceterisque qui his rebus operam navaverunt, quaestio ita proponenda erat: in archontis tabulas utrum magistri an poetae nomen receptum est, sed ita: in archontis tabulas utrum et magistri et poetae an magistri solius nomen receptum est? Nam quomodo quis, sitne magistri nomen in archontis acta receptum, dubitare potuerit, plane non intellego. Archon enim eius nimirum nomen in tabulas suas recepit qui chorum petivit, et id ipsum magistri munus erat [1]). Ex archontis autem tabulis hausit Aristoteles, quem revera magistrorum nomina rettulisse inde perspicitur, quod antiqui viri docti de fabularum magistris certiores facti erant. Nam quis fuisset fabulae sub alieno nomine commissae magister, si eius nomen in didascalias relatum erat, inscriptione fabulae in didascaliis reperta facile erat exploratu — nisi forte fabulae inscriptio ex usitatissimis erat — sed quomodo, qui docuisset cognosci poterat exstante in didascaliis veri scriptoris tantum nomine? Dicat quis viros doctos Alexandrinos ipsas archontum Atheniensium tabulas vel titulos agonisticos, quorum reliquias etiam nos ante oculos habemus, adisse, ut de didascalis certiores fierent. Quod nullam habet veri speciem, cum frustra quaeras, quid eorum interfuerit scire, quis fabulam quandam, cuius auctorem noverant, docuerit. Quae argumenta omnia non minus ad saeculum IV quam ad saeculum V spectant. Et revera in Aristotelis didascaliis, etiam quatenus ad tempora post a. fere 380 spectabant, magistrorum nomina tradita fuisse ex iis testi-

videtur: a iudicibus nemo nominari poterat, quin in tabulas archontis, qui diei festo praeerat, relatus esset.

1) cf. Ar. Eq. 513. Nub. 530 sqq.

moniis efficitur, quibus ne horum quidem temporum didascalos viris doctis litterarum historiae studiosis ignotos fuisse docemur. Et sunt quidem haec: IG XIV 1098, 8 [1]), vita X oratorum p. 839 c [2]). Rursus autem moneo iure fieri non posse, ut didascalias Aristoteleas nihil continuisse praeter ea quae tituli agonistici exhibent, credamus. Nam in victorum catalogis inscriptionibusque didascalicis inde ab a. fere 380 poetae tantum nomen traditum erat, Aristotelis autem didascalias ad haec tempora pertinentes et magistri et poetae nomina exhibuisse nunc intelleximus. Infra Aristotelis didascalias et titulos agonisticos etiam multo magis differre cognoscemus. Ceterum, quod ad victorum catalogos attinet, cur ita ab Aristotelis didascaliis differant, nemo non videt: cum unius tantum, aut poetae aut magistri, nomen recipere possent, exstantibus in didascaliis poetae magistrique nominibus poetae nimirum nomen receperunt.

Quoniam haec de Aristotelis didascaliis ad tempora inde ab a. 380 pertinentibus cognovimus, quae didascaliarum Aristotelearum, quatenus ad tempora priora pertinebant, ratio fuerit, exploremus. Id quod non iam difficile est. Nam mutationem illam, quae in didascaliis in lapides incisis victorumque catalogis facta est, in Aristotelis didascaliis, ex quibus originem ducunt tituli illi, inauguratam esse apparet. Porro fieri non potuisse, ut nomen magistri fabulae non traderetur, supra (p. 21) intelleximus. Ergo didascaliarum Aristo-

1) Cappsius, Class. philol. 1, 220.

2) Huius testimonii auctorem esse Heliodori librum περὶ τῶν Ἀθήνησι τριπόδων inscriptum B. Keilius in Hermae vol. 30, 205. 237 ostendit. Sed Heliodorum, qui certe non haec omnia ex tripodibus sumere poterat, operibus didascalicis Peripateticis usum esse ne Keilius quidem (p. 205) negat, unde etiam magistrorum nomina eum sumpsisse crediderim; nam num exstiterint in tripodibus, valde dubium est.

telicarum nullo modo ratio alia atque ea secundum quam et magister et poeta nominarentur, fuisse potest nisi ita, ut solius magistri nomen traderent. Nunc tandem argumentis quoad fieri potest certis demonstratum esse mihi videtur, quae Aristotelis didascaliarum, quod ad hanc quaestionem attinet, fuerit ratio: usque ad tertium saeculi quarti decennium Aristoteles magistri tantum, inde ab hoc tempore et magistri et poetae nomina rettulit.

Quam demonstrationem rectam esse nonnullis virorum doctorum antiquorum dubitationibus de fabularum quarundam auctoribus comprobatur. Nam quod legimus apud Athenaeum XIII 568 f ⟨εἰ⟩ *Εὐβούλου τὸ δρᾶμα* (*Ναννίου*) *καὶ μὴ Φιλίππου*, inde in didascaliis *Φίλιππος Ναννίωι* scriptum fuisse colligo, cum scholiasta in Platonis Apol. 19 c (*Φίλιππον τὸν τοῖς Εὐβούλου δράμασιν ἀγωνισάμενον*) Philippum Eubuli fabulas dedisse auctor sit [1]). Eandem dubitationis de Campylionis fabulae auctore causam fuisse censeo: cf. Athen. XIII 562 c *Εὔβουλος ἢ Ἀραρὼς ἐν Καμπυλίωνι*, XI 471 e *Ἀραρὼς ἢ Εὔβουλος Καμπυλίωνι* (Meinekius hist. crit. p. 345. 363). Eubulus enim a docendi opera quadam de causa saepe videtur recessisse, et familiarem eum fuisse Aristophanis filiis, quorum Philippus plures [2]), Araros ad minimum unam ex eius fabulis docuerit, facile concludimus. In didascaliis haud dubie *Φίλιππος Ναννίωι* et *Ἀραρὼς Καμπυλίωνι* scriptum erat, cum autem et Araros et Philippus ipsi comoediarum scriptores fuissent, utrum fabulae illae testibus didascaliis ab Ararote et Philippo in certamen commissae ab ipsis scriptae essent an ab Eubulo, cuius fabulae cognomines

1) Ita hoc scholium interpretandum esse moneo adversus Cappsium AIP 28, 191 sq.

2) Fortasse etiam Daedalum comoediam Philippus docuit cf. Eubul. fr. 22 Kock.

exstabant, ambigebatur. Nos autem, quippe qui intellexerimus, quae illius discrepantiae inter didascalias et Eubuli fabularum inscriptiones causa fuerit, Campylionis fabulae fragmenta etiam solius Ararotis nomine allata Eubulo tribuenda esse censemus [1]). Post tertium scilicet saeculi quarti decennium Eubuli Philippique nomina coniuncta in didascaliis aliquotiens comparuerunt, unde sumptum videtur illud apud scholiastam Platonis *Φίλιππον τὸν τοῖς Εὐβούλου δράμασιν ἀγωνισάμενον*.

Trium igitur Aristophanis filiorum unum, Philippum, alienas fabulas dedisse traditum est, alium, Ararotem, exploravimus, tertium idem fecisse conicere licet. Controversiam enim de eius nomine ortam, de qua scholiasta in Platonis Apol. 19c auctor est: (*Ἀριστοφάνης*) *τρεῖς ἔσχεν υἱούς, Φίλιππον .... Ἀραρότα .... καὶ τρίτον, ὃν Ἀπολλόδωρος* [fr. 50 Iac.] *μὲν Νικόστρατον καλεῖ, οἱ δὲ περὶ Δικαίαρχον Φιλέταιρον*, ex dubitatione, utrum fabularum nonnullarum Nicostratus an Philetaerus auctor esset, exstitisse verisimile est: cf. Athen. III 108c. 118e (II 65d) *Νικόστρατος ἢ Φιλέταιρος ἐν Ἀντύλλωι*, Suid., qui Oenopionem fabulam s. *Νικόστρατος* huic, s. *Ἀμφίας* Philetaero tribuit. In fabulis attribuendis quanta fuerit didascaliarum auctoritas — tanta ut veri auctoris nomen omnino oblivione obrui posset — vel ex Rheso tragoedia mediocris poetae fetu[2]) Euripidi eam ob causam tributa, quod didascaliae Rhesum quandam ab Euripide datam memorarent[3]), intellegitur. Item aliarum de fabularum auctoribus dubitationum causam fuisse didascalias licet suspicari, demonstrare paucarum[4]).

Iam in Aristotelis didascaliis, unde praecipue

1) Mein. FCG III p. 275 sq. Kock. CAF II p. 217.

2) Wilamowitzius Anal. Eur. p. 157.

3) schol. in Rhes. 528.

4) cf. quae scribunt Meinekius hist. crit. p. 251: „numquam

theatri Attici historiam veteres philologi hauserunt, per saeculum quintum et initium saeculi quarti chori magistros tantum nominatos fuisse ad liquidum perductum esse arbitror. Quibus exploratis id quoque investigare possumus, utrum magistri an poetae nomen in archontis tabulas relatum fuerit. Mutatio enim illa in Aristotelis didascaliis facta nullo modo explicari potest nisi ita, ut eam in archontis tabulis, ex quibus hausit Aristoteles, inauguratam esse censeamus. Scimus igitur in archontis acta saeculo quinto et initio saeculi quarti magistri tantum nomen relatum esse, postea et magistri et poetae. Id quod haud parvi est momenti ad diiudicandas quaestiones quae ortae sunt de actionibus Aristophaneis; qua de re agere non huius loci est.

Ceterum illius mutationis causa certe publica, fortasse lex fuit, quam licet ignoremus, tamen hoc fere conicere possumus. Etenim quod antea semper aliquid miri habebat — scilicet si quis fabulam alii agendam traderet — postea tam saepe fiebat, ut fortasse iam saepius magistri quam poetae nomen in archontis acta relatum esset, nisi lege sanctum esset, ut poetae quoque nomen reciperetur. Quod bene quadrat ad id quod omnino hac aetate factum esse animadvertimus, scilicet ut poetae et chori magistri munera magis magisque discernerentur[1]).

Adhuc de magistris poetisque comicis quidque Aristo-

fabulam duobus auctoribus tribui videas, nisi tempore fere aequalibus", et Kaibelius in Hermae vol. 24 p. 46: in den meisten Fällen werden wir die unzureichende handschriftliche Überlieferung, die mit den didaskalischen Urkunden verglichen nur halbwegs gesichert werden konnte, als die wichtigste Ursache für jenes Schwanken halten dürfen.

1) cf. quae scripsit Reischius RE V 1, 405, 46: Je mehr der Dichter seit dem 4. Jhdt. das *διδάσκειν* anderen überließ, ... desto mehr mußte auch auf dem Gebiete der dramatischen Dichtkunst die Rolle des Dichters und des Lehrers sich scheiden.

teles de iis tradiderit egimus. Iam quaestiones de magistris et poetis tragicis easdem ponamus.

Sed praemittenda est quaestio de magistris tragicis in universum. Nam cum haud raro quaestiones sive difficultates aliquas homines docti ita solvere conati sint, ut tragoedias quasdam ab aliis quam ab ipsis poetis doctas esse sibi fingerent, e re erit monere saeculi quinti quidem temporibus id factum esse nullum certum exstare testimonium. Illud enim scholiastae in Ar. Ran. 78 *ἐπὶ τῶι ταῖς τοῦ πατρὸς τραγωιδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμωιδεῖται* (*Ἰοφῶν*) nihil esse nisi falsam interpretationem verborum Aristophaneorum, quae rectius interpretatur schol. 73 et ille, qui in schol. 78 scripsit *κωμωιδεῖται γὰρ ὁ Ἰοφῶν .... ὡς τὰ τοῦ πατρὸς λέγων ποιήματα*, luculenter apparet. Unde derivatum videtur, quod legitur apud Suidam s. *Ἰοφῶν· δράματα ἐδίδαξεν ν', ὧν ἐστιν Ἀχιλλεὺς ..... καὶ ἄλλα τινὰ κατὰ* (*κατὰ* om. pars codicum) *τοῦ πατρὸς Σοφοκλέους*. Quo sensu verbum *ἐπιγράφεσθαι* adhibeatur a scholiasta illo, alii loci eiusmodi scriptorum ostendunt: Anonym. *π. κωμ.* p. 8, 46 *Ἀριστοφάνης .. νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τοῦ λοιποῦ ⟨αὐτὸς⟩ ἐπιγραφόμενος ἐνίκα*; Ar. Ran. arg. I (p. 513a Dbn.) *Φιλωνίδης ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα*; cf. schol. Plut. 179 (p. 334a 43) *Φιλωνίδην .. τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν*. Neque vero hodie quemquam scholiastae illi fidem habiturum esse[1]) Iophontem revera totas tragoedias Sophocleas tamquam suas docuisse confido. Porro quae Bergkius[2]) de Euripidis Phoenissarum argumento, Wilhelmus p. 62 de Callistrato[3]), p. 21 de Menecrate dixerunt, incertissima sunt. Neque enim alio fundamento nituntur

1) Quod fecerunt Bergkius apud Mein. FCG II 2, 906, F. V. Fritzschius in commentario ad Ar. Ran. p. 35, al.

2) Herm. 18, 510.

3) cf. Wilamowitzius l. l. p. 628.

nisi eo, quod illorum nominum poetae adhuc ignoti erant. Sed permultorum poetarum nomina in titulis agonisticis demum apparuerunt, velut Euareti 973, 7. 26 (p. 40 W), Aminiae 974c 12 (p. 45), Satyrionis 977h 13 (p. 118), Nicarchi ib., Po[....] 977k 1 (p. 123), al., quos enumerare longum est[1]). Etiam schol. Eur. Andr. 445 *εἰλικρινῶς τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν· οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησιν. ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῆι τραγωιδίαι Δημοκράτην* talem in modum qualem vult Wilamowitzius l. l. p. 628 adn. 1[2]), explicari posse ut credam, a me impetrare non possum. Scholii auctor quidem Aristophanes Byzantius mihi videtur (ut Wilamowitzio), propterea quod Aristophanes Byz. in argumenti parte, quae non iam exstat, de fabulae tempore egisse censendus est. Sed quomodo fieri potuit, ut Aristophanes fabulae tempore aliis argumentis recte definito[3]) *Ἀνδρομάχην* tragoediam in illorum annorum didascaliis repertam eamque cum aliis fabulis Euripideis in tetralogiam coniunctam[4]) Euripideam esse non perspiceret? Accedit, quod Aristophanem apud Callimachum indicium invenisse scimus, quo adhibito nullus ei dubitationis locus relictus esset, si in didascaliis Democratis nomen cum Andromachae inscriptione coniunctum exstitisset. Tam exigua sagacitate Aristophanem fuisse non credo, neque dubitare possum, quin in Andromachae fabulae argumento *ἐδιδάχθη διὰ Δημοκράτους* scripturus fuerit, id quod fecit in argumentis fabularum Aristophanearum in didascaliis sub alieno nomine exstantium. Quomodo scholium illud explicandum sit, ne ego quidem scio. Neque vero supervacaneum esse

1) cf. Kock. CAF III p. 366.

2) cf. Anal. Eur. p. 148.

3) cf. Wilamowitzius Anal. Eur. l. l.

4) cf. Wilamowitzius l. l. p. 172. 173.

duco, de ipsis scholii verbis quaestionem accurate proponere. Verbum *ἐπιγράφεσθαι* ea vi, qua videmus id adhiberi locis illis supra p. 26 allatis, a Callimacho usurpatum esse non potest, novicii enim hoc est usus: in Ar. Ran. arg. I verba *ἐδιδάχθη διὰ Φιλωνίδου*, servata in R. V., in codicibus deterioribus *Θ. M.* depravata sunt in *Φιλωνίδης ἐπεγράφη*; item in schol. Ar. Plut. 179 simile illud *Φιλωνίδην τὸν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν* abest a codicibus veteribus R. V. Orta est haec verbi usurpatio apud eos qui non iam sciverunt, quid illud *ἐδιδάχθη διὰ* ... sibi vellet, grammaticus autem veteris aetatis tales ineptias quales legimus apud Anonym. *π. κωμ.* l. l. *ἐπιγραφόμενος ἐνίκα*, non scripsisset. Ergo si quis Andromacham per Democratem doctam esse Callimachum tradidisse censet, facere non potest, quin verba scholii depravata esse concedat. Sin autem verba pristina scholii auctoris servata esse putamus, intellegere ea non aliter possumus nisi ita, ut Callimachum Andromachae exemplari Democratem inscriptum fuisse tradiderit. Unde Democratem Andromacham docuisse concludi nequit, nam recte scripsisse mihi videtur Kaibelius[1]): daß der *διδάσκαλος* keinen Augenblick für den Dichter hat gelten können, also auch unmöglich in die Handschrift des Stückes dringen konnte, wird heute von Sachkundigen allgemein zugestanden werden. Praeterea et in hanc et in priorem sententiam cadit quod supra exposui, scilicet in Aristotelis didascaliis *Δημοκράτης Ἀνδρομάχηι* non exstitisse. Itaque cum tragoediam ullam per alium ac verum poetam saeculi quinti temporibus doctam esse nullum exstet testimonium, didascaliae autem in argumentis fabularum tragicae non pauciores quam comicae servatae sint, saeculi quinti temporibus id non esse factum colligendum

---

1) Herm. 24, p. 46 adn. 1.

videtur. Idem de saeculo quarto dici nequit respecto testimonio vitae X oratorum p. 839d (supra p. 18 adn. 1 allato) de Aphareo tragico. Mutatio igitur facta est, eamque inter eas fuisse quas saeculi quarti priore parte factas esse supra (p. 25) vidimus, verisimile est.

De tota re plura scire valde cupimus. Sed ne id quidem scimus, cur Aristophanes tam multas fabulas per alios commiserit. Nam equidem ex locis illis saepe tractatis[1]), ubi Aristophanes ipse de causis quibus adductus didascalis usus sit loquitur, nihil elicere possum. Id unum video eum id agere, ut veram causam celet. Itaque similia facit, velut Eq. 542, pulchriora quam aptiora[2]), ut spectantium animos quam celerrime ad aliam rem deducat, nam dum aliorum comicorum cavillationibus (cf. schol. Plat. Apol. 19c) hominumque interrogationibus coactus de illa re loquitur, quasi in angustiis poetam versari sentire mihi videor. Veram causam certe non dicit[3]), nam veram causam non eam esse, quod nimis adulescens fuerit, inde perspicitur quod vir et senex non minus quam adulescens et iuvenis magistris usus est. Et commenticia referre schol. Ald. Nub. 530 (p. 434a Dbn.) *οὔπω ἐπέτρεπον ἐμαυτῶι τὸ δημοσίαι λέγειν διὰ τὸ νέον τῆς ἡλικίας .... νόμος δὲ ἦν μὴ εἰσελθεῖν τινα εἰπεῖν μήπω μ' ἔτη γεγονότα, ὡς δέ τινες λ'*; item Nub. 510 *νόμος ἦν Ἀθηναίοις μήπω τινὰ ἐτῶν λ' γεγονότα μήτε δρᾶμα ἀναγιγνώσκειν ἐν θεάτρωι μήτε δημηγορεῖν .... ἐπιβὰς δὲ ἤδη τοῦ λ' ἔτους καὶ τοῦτο δὴ τὸ τῶν Νεφελῶν ποιήσας δι' ἑαυτοῦ διδάσκει*, nemo non

---

1) Eq. 512 sqq. Nub. 530 sqq. Vesp. 1021 sqq.

2) cf. Kaibelius RE II 1, 973, 47: ein Bild, das trotz seiner Ausführlichkeit keine pedantische Einzelausdeutung verträgt.

3) aliter Wilamowitzius GGA 1906, 630: in den Wolken erzählt Aristophanes . . ., daß er zu jung gewesen wäre.

videt[1]). Ephebia superata[2]) in civium ordinem receptum poetam nec more nec consuetudine impeditum fuisse, ne ipse chorum peteret, ipse Aristophanes docet; nam quid habuisset eius consuetudo miri, cur irriderent eam collegae, mirarentur reliqui cives?[3]) Itaque cum miri aliquid in Aristophanis consuetudine infuisse constet, nihil aliud conicere possum nisi docendi arti non satis parem ipsum sese habuisse, id quod celare sane eius intererat. Ac nescio an etiam de modorum faciendorum arte cogitandum sit, ita ut sequatur poetas tragicos ea parte artis musicae quae ad modos faciendos spectat, altius quam comicos institui solitos esse. Praeterea de tragoediarum commissionibus id unum quamvis notum commemorare possum certamen tragicum quodammodo nobilius fuisse et quasi publico splendore exstructum, id quod intellegitur ex titulis velut IG II 1, 10b p. 397 (saec. IV init.) . . . *ἐπαιν]έσαι δὲ αὐ[τὸν καὶ στεφανῶσαι χρυσῶι στεφ]άνωι, ὁ δὲ κ[ήρυξ ἀναγορευσάτω ἐν τῶι θεάτρω]ι, ὅτ[α]ν ο[ἱ] τρα[γωιδοὶ ὦσιν* . . . . Cum igitur saeculo quinto numquam factum sit, ut tragoedia ulla a vero poeta alii docenda mandaretur, ad cognoscendam didascaliarum naturam haec res non confert. Quarto autem saeculo cum illa res aliter se haberet, et in archontis tabulas et in Aristotelis didascalias nomina et magistri et poetae relata esse supra (p. 22) vidimus.

Alia est quaestio et ab illa quam modo instituimus seiungenda, quid tradiderint didascaliae, cum post veri auc-

1) cf. Bergkius ap. Mein. FCG II 2, 906.

2) cf. tit. 974c 13 (p. 45 W) *οὗτος ἔφηβος ὢν ἐνεμήθη*. Anon. *π. κωμ.* p. 9, 71 K.

3) van Leeuwenii (Mnemosque 16, 266 sqq.) sententia Aristophanem peregrinum fuisse eaque de causa chorum impetrare non potuisse, non tam argumentis fulta videtur, ut data opera refutanda sit.

toris obitum fabula nondum data ab alio in scaenam commissa esset, id quod factum esse scimus post Pratinae[1]) Euripidis Sophoclis Paranomi[2]) ignotique cuiusdam poetae[3]) mortem. De Sophocle testimonium (arg. O C) supra (p. 13) attuli, de Euripide habemus imprimis hoc: schol. Ar. Ran. 67 *καὶ ταῦτα τοῦ τεθνηκότος]* . . . . *οὕτω γὰρ καὶ αἱ διδασκαλίαι φέρουσι, τελευτήσαντος Εὐριπίδου τὸν υἱὸν αὐτοῦ δεδιδαχέναι ὁμώνυμον* (sic G; *ὁμωνύμως* M. V. Ald.) *ἐν ἄστει Ἰφιγένειαν τὴν ἐν Αὐλίδι Ἀλκμέωνα Βάκχας.* Quo ex diserto scholio etiam didascalias admodum disertas fuisse colligendum videtur. Sed ne nimium auctoritatis tribuamus huius scholiastae verbis, aliis de Euripide minore testimoniis monemur. Tradit enim Suidas (I 2, 641, 13 Bernh.) s. *Εὐριπίδης· τὴν δὲ μίαν (νίκην ἔσχε) μετὰ τὴν τελευτὴν ἐπιδειξαμένου τὸ δρᾶμα τοῦ ἀδελφιδοῦ αὐτοῦ Εὐριπίδου* (cf. 639, 9 *Εὐριπίδης τραγικός, τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς*) et contra (640, 10) *ἐξ ἧς (Χοιρίνης) ἔσχεν (Εὐριπίδης) Μνησίλοχον καὶ Μνησαρχίδην καὶ Εὐριπίδην*, item Anonymus de vita Eur. p. 134, 26 West. *υἱοὺς κατέλιπε τρεῖς, Μνησαρχίδην μὲν πρῶτον, ἔμπορον, δεύτερον δὲ Μνησίλοχον, ὑποκριτήν, νεώτερον δ' Εὐριπίδην, ὃς ἐδίδαξε τοῦ πατρὸς ἔνια δράματα.* Qua ex discrepantia in didascaliis, utrum ipsius Euripidis an eius fratris filius fabulas illas dederit non fuisse traditum colligas. Idem sumamus de Sophocle minore, de cuius genere testimoniorum discrepantia non multo minor est: scriptores eum filium Aristonis dicunt praeter Anon. in anecd. Ox. IV p. 315, 21, qui eum Antiphontis, et Diodorum[4]), qui eum Sophoclis filium faciunt; ex titulis autem Kirchnerus[5]) eum Iophon-

1) Aesch. Sept. arg.

2) tit. 975c 17 (tab. post p. 68 W).

3) 975i 3 (p. 79 W).

4) XIV 53, 6.

5) Prosopographia Attica II 12833 et p. 264.

tis filium fuisse assecutus est. Sed mirum est, quod et Sophoclis et Euripidis tragoediae postumae ab altero Sophocle et altero Euripide datae esse feruntur. Etenim Sophoclis fabulam potius ab Iophonte, qui ipse poeta tragicus erat (Suid. s. v.) et patrem mortuum consecravit[1]), Euripidis autem tragoedias fortasse potius a filio Mnesilocho, quem vita Eur. histrionem fuisse tradit, in scaenam commissas esse exspectes. Itaque idem suspicatus sum, quod Rosius[2]) coniecit, in didascaliis nihil scriptum fuisse nisi *Εὐριπίδης* et *Σοφοκλῆς*, quo nomine poetae ipsi significarentur (*Εὐριπίδης Ἰφιγενείαι . . . ., Σοφοκλῆς Οἰδίποδι*). Cum enim Euripidem et Sophoclem a. 405 mortuos fuisse ex Aristophanis Ranis notum esset, sub »*Εὐριπίδης*« et »*Σοφοκλῆς*« ii qui mortuorum fabulas docuissent, videntur esse intellecti. Et Sophocles minor aliunde notus erat, Euripides autem minor fortasse totus ex didascalia illa male intellecta ortus est. Quomodo cum Euripide clarissimo cognatus fuerit, de hac re certi nimirum nihil proferri poterat. Haec non nego coniectura tantum niti, quae certe non refutatur iis quae tradit Suidas (I 2, 639, 9): *Εὐρ. τραγικὸς, τοῦ προτέρου* (i. e. eius Euripidis, qui poeta celeberrimo maior natu erat) *ἀδελφιδοῦς, ὡς Διονύσιος ἐν τοῖς χρονικοῖς. ἔγραψε δ' Ὁμήρου ἔκδοσιν, εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστίν. δράματα αὐτοῦ ταῦτα Ὀρέστης Μήδεια Πολυξένη*, eaque a nonnullis viris doctis ad Euripidem illum minorem relata sunt. Ipsa enim ita comparata sint, ut suspicionem moveant, et Wilamowitzius[3]) haec scribit: von dem jüngsten, Euripides, wissen wir nur eine einzelne Tat, ... er hat bald nach seines Vaters Tode eine hinterlassene Tetralogie desselben auf die Bühne gebracht. Quodsi in didascaliis Aristoteleis nihil nisi *Σοφοκλῆς* et *Εὐριπίδης ἐδίδασκε* traditum fuisse verisimile ducimus — neque enim ultra id quod verisimile est in hac quaestione progredi possumus — in fastis non cum Cappsio[1]) *Σοφοκλῆς τεθνηκώς* exstitisse censebimus. Legimus illud *τεθνηκώς* in titulis didascalicis[2]), qui spectant ad tempora quae sunt post mutationem illam in archontis tabulis Aristotelisque didascaliis factam, neque scimus, fuerintne tabulae et didascaliae uberiores quam didascaliae lapidibus incisae. Omnino autem cum non ita saepe fieret, ut fabulae postumae in scaenam darentur, archontum consuetudo fortasse non certa neque sibi constans erat. Idem fortasse docet Aesch. Sept. argumentum, quod ita intellegendum esse puto, ut fabula *Παλαισταί* postuma data sit. Pratinam Aristiae patrem fuisse viri docti Alexandrini nisi ex Aristotelis didascaliis scire non poterant; ergo si hoc de Aristiae patre testimonium verum est, archontis tabulae et Aristotelis didascaliae de Pratinae fabula postuma plus tradiderunt quam de Euripidis et Sophoclis fabulis postumis.

1) vita Soph. p. 128, 43 West.
2) Aristoteles pseudepigraphus p. 557.
3) Eur. Herc. I[1] p. 7.

Certa igitur de hac quaestione enucleari non posse videntur. Itaque ad aliam transeamus et quaeramus, quid Aristoteles de fabulis iteratis et retractatis tradiderit. Exstat in argumento I ad Ar. Ran. notum illud *οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῶι παράβασιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος.* Refert quae vis testimonio illi subiecta sit. Cum vero fabulae in Piraei[3]) vel alius pagi theatro iteratio nihil habuisset quod Aristophanis comoediam insignem redderet, verbo illo *ἀναδιδάσκειν* iteratio ludis publicis facta significari putanda est. Cuius testimonii auctorem didascalias fuisse Wilamowitzius[4]) negat.

1) AJP 28, 184 adn. 2.
2) 975c 17 (tab. post p. 68 W). i 3 (p. 79 W).
3) cf. Aelian. v. h. II 13. Madvigius opusc. p. 437 adn.
4) GGA 1906, 630.

Et olim sane fuerunt qui Aristotelem non totam *θεατρικὴν ἱστορίαν* complexum esse censerent. Inter quos etiam Meinekius[1]) erat, qui cum Aristotelem omnem materiam complexum esse negaret, qualem Aristotelis rationem fuisse putare poterat nisi talem ut electum fecerit? Et quid potius omitteret quam fabularum iterationes? Sed illi sententiae quod refragetur testimonium non deesse arbitror, scholium dico ad Ar. Ran. 1028. Nam cum in Aeschyli Persis, cuius una exstabat forma, de Darei morte nihil inveniretur, Eratosthenes in *περὶ ἀρχαίας κωμωιδίας* l. III fabulae retractationem ab ipso Aeschylo factam, cuius nihil superesset, ab Aristophane significari coniecit. Quam fabulam retractatam cur non Athenis sed Syracusis doctam esse putavit? Nullam aliam ob causam nisi eam quod in didascaliis Persarum fabula semel relata erat. Quodsi in didascaliis non omnes fabulae Dionysiis Magnis Lenaeisque commissae sive integrae sive iteratae et retractatae enumeratae fuissent, nihil Eratosthenes habuisset cur Syracusis Persas iteratam esse putaret. Testimonium scilicet de illa re non exstabat, sed mera Eratosthenis coniectura erat, id quod neque ipse Eratosthenes (*δοκοῦσι . . .*) neque sequiores grammatici coniecturam illam tradentes celaverunt (cf. vita Aesch. p. 122, 93 West. *φασὶ δ' ὑφ' Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίαι*), recentiores[2]) pro certo tradunt. Affero etiam schol. Ar. Plut. 385 *ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται τραγικός*, ubi Pamphilum tragicum poetam non fuisse eo quod nomen eius in didascaliis non compareret demonstratur. Omnes igitur et novarum et iteratarum fabularum commissiones

1) quaest. scen. III p. 1sq., hist. crit. p. 5sq.
2) Kirchnerus Prosop. Att. I p. 32. Christius hist. litt. Gr.[5] p. 277. Praeterea cf. Wilamowitzius Herm. 32, 394. Berl. Sitzb. 1901, 1284.

Dionysiis Lenaeisque factas quin Aristotelis liber complexus sit, dubitari nequit, item atque in Olympionicarum indicem ad unum omnia victorum nomina relata esse ex papyro Oxyrhynchi reperta[1]) colligimus. In Ranarum argumento autem quod Dicaearchus auctor laudatus est, non nimii momenti est. Hoc docet Sophoclis OR argumentum quod inscribitur *διὰ τί τύραννος ἐπιγέγραπται*, ubi haec exstant: *τύραννον . . ἐπιγράφουσι . . καίπερ ἡττηθέντα ὑπὸ Φιλοκλέους, ὥς φησι Δικαίαρχος.* Quamquam hoc argumentum nihil habet quin ex didascaliis sumi potuerit, Dicaearchus auctor affertur. Cuius argumenti auctor utrum ex Dicaearchi libro *ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων*[2]) an libro *περὶ μουσικῶν ἀγώνων* inscripto an ex alio, non minus quam cui libro Dicaearcheo argumenti illius Ar. Ranarum testimonium debeatur, nescimus. Id scimus Dicaearchi doctrina, ut fabulam *Βάτραχοι* inscriptam bis in certamen commissam esse memoriae proderetur, non fuisse opus; fuit dumtaxat opus ei qui utramque fabulam unam fuisse Aristophaneam traderet. Quod per se non constabat; nam — quod *Βάτραχοι* comoedia a. 406/5 commissa sub Philonidis nomine in didascaliis exstabat, iam nolo premere — altera fabula *Βάτραχοι* inscripta sive plane alia sive retractata esse poterat, qua de re in Aristotelis didascaliis nihil traditum fuisse ex Ar. Pac. arg. III discimus: *φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν, φησὶν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώιζεται.*

Grammatici igitur in eiusmodi causis in didascaliis adnotationes non repperer unt, inscriptiones autem didascalicas

1) vol. II p. 85sqq.
2) de cuius indole cf. Wilamowitzius Eur. Herc. I[1] 133.
3) Meinekius quaest. scen. III p. 2.

Romae repertas (IG XIV 1097. 1098. 1098a), quarum alia ratio est[1]), non ex solis didascaliis fluxisse, sed Alexandrinorum virorum studiis auctas esse vel ex additamentis αὖται μόναι σῶι[αι 1097, 9, Ἡσ]ιόδοις σώιω[ι 1098a 7 apparet[2]). Videmus igitur Aristotelem in cognominum fabularum titulis referendis, essentne fabulae iteratae an retractatae an eaedem, nihil curasse, sed ea tantum quae in archontis tabulis invenerat tradidisse. Neque recte iudicare puto Wilamowitzium[3]) in Sophoclis Aiacis argumento (.... ἐν οἷς ἐστί τις καὶ κριὸς ἔξοχος, ὃν (Αἴας) ᾤετο εἶναι Ὀδυσσέα, ὃν δήσας ἐμαστίγωσεν, ὅθεν καὶ τῆι ἐπιγραφῆι πρόσκειται Μαστιγοφόρος, ἢ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ Λοκροῦ. Δικαίαρχος δὲ Αἴαντος θάνατον ἐπιγράφει· ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἀναγέγραπται) hanc fabulam a Dicaearcho Αἴαντος θάνατον ex Aristotelis didascaliis, ab Aristophane Byzantio Αἴαντα ex Atheniensium monumento publico didascalico cuius fragmenta exstant IG II 972sqq, appellari. Immo, in Aristotelis didascaliis tragoedia inscripta fuit Αἴας, item ea quam nos »Οἰδίπους τύραννος« vocamus Οἰδίπους, id quod inde apparet quod varia cognomina fabulis illis data sunt: arg. Soph. OR ὁ τύραννος Οἰδίπους ἐπὶ διακρίσει θατέρου (cf. Sallustii arg. Soph. OC τὰ ἐν τῶι ἑτέρωι Οἰδίποδι) ἐπιγέγραπται. χαριέντως δὲ Τύραννον ἅπαντες αὐτὸν ἐπιγράφουσι ὡς ἐξέχοντα πάσης τῆς Σοφοκλέους ποιήσεως .... εἰσὶ δὲ καὶ οἱ Πρότερον, οὐ Τύραννον, αὐτὸν ἐπιγράφοντες διὰ τοὺς χρόνους τῶν διδασκαλιῶν καὶ διὰ τὰ πράγματα, quod nescio an non factum esset, si in Aristotelis didascaliis additamenta quibus distinguerentur inventa essent. Quodsi Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῶι

1) 1098a 5 Στ]ερροὺς ἀν[εδίδαξεν cf. A. Koertius Mus. rhen. 60, 440. Cappsius Class. phil. 1, 218.

2) cf. Wilamowitzius GGA 1906, 616.

3) l. l. p. 618.

et Αἴας Λοκρὸς tragoediae, fortasse etiam Ἰφιγένεια ἡ ἐν Αὐλίδι[1]) in didascaliis additamentis illis instructae erant — siquidem erant, id quod pro certo affirmare non ausim — haud dubie ita ἐπὶ διακρίσει τῶν ἑτέρων apud archontem ab iis qui chorum petebant appellatae in tabulas archontis relatae sunt. Fabulae autem Αἴας μαστιγοφόρος vel Αἴαντος θάνατος et Οἰδίπους τύραννος vel πρότερος, quibus additamentis iis non magis quam Euripidis Ἡρακλεῖ (μαινομένωι)[2]) opus erat, ab ipsis poetis, qui multis annis post eiusdem tituli fabulas se esse scripturos non praesagiebant, procul dubio simpliciter Αἴας et Οἰδίπους vocatae sunt. Aristoteles autem ut alias ita nunc ad ea quae in archontis actis invenerat nihil addidit, neque igitur, ut docet etiam Aristoph. Pac. argumentum III, fabularum initia exhibuisse putandus est; id quod propterea moneo quod, cum posteriores grammaticos id fecisse sciamus[3]), nescio an quis schol. Ar. Av. 281 ita explicandum esse censeat, ut Pandionidis tetralogiae initium ex Aristotelis didascaliis in eodem scholio allatis sumptum sit[4]). Nusquam igitur quantum adhuc

1) cf. schol. Ar. Ran. 67.

2) cf. Wilamowitzius Eur. Herc. I^2 p. 166.

3) Afferre liceat locos nonnullos huc facientes, quos in transitu collegi: arg. Aesch. Pers. (cf. Wilamowitzius Herm. 32, 391, 1). arg. [Eur.] Rhes. schol. Eur. Med. 693. Ath. XIII 559f. De Callimachi πίναξι: Ath. VI 244a. XIII 585b. Harpocr. s. Ἴων (cf. Usenerus Nachr. Gött. Ges. 1892 p. 192). Usitatissima nimirum haec ratio erat in lyricis carminibus afferendis cf. Pind. vita p. 2 Drachm. (fr. 95. 37). scholl. Pind. Ol. IX 1. Ar. Nub. 967. Pac. 835. Ath. III 85f. al. Hegesandri ὑπομνημάτων prima verba afferuntur apud Ath. XI 479d.

4) Scholion illud difficultatem praebet, in quam animum meum advertit Fridericus Leo. Ad Aristophanis enim verba Av. 281

vidimus, Aristoteles ultra ea quae in archontis actis tradita erant progressus est. Si fabula quaedam sub alieno nomine exstabat, verum poetam non magis curabat quam archon curaverat, neque de fabulis iteratis retractatisque quicquam de suo addidit.

Sed quomodo haec ratio consentit cum ea quam Aristotelem homines docti verbis scholiastae in Ar. Av. 1379 *Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις δύο φησὶ γεγονέναι* (*Κινησίας*) testimonio usi in poetarum nominibus referendis secutum esse contendunt? Et eorum[1]) quidem sententia qui illud Aristotelis, cum ad poetae comici locum afferatur, comoediae explicandae gratia scriptum partemque libri Aristotelici in eo versatam fuisse quo scimus Ammoni et Herodici libros *περὶ τῶν κωμῳδουμένων* sibi sumpserunt,

ἀλλ' οὗτος μέν ἐστι Φιλοκλέους
ἐξ ἔποπος, ἐγὼ δὲ τούτου πάππος, ὥσπερ εἰ λέγοις
Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας

variae explicationes scholiastarum exstant. Inter quos duo eandem interpretationis viam ingressi sunt, vel potius unius grammatici interpretatio varia forma bis affertur: p. 217, 15 Dbn. *οὗτος ὁ Φιλοκλῆς ἔποπα ἐσκεύασεν ἐν τῆι Πανδιονίδι τετραλογίαι, οὗ* (sic) *ἡ ἀρχὴ »σὲ τῶν πάντων δεσπότην λέγω«* (verba defecta et corrupta; *λέγω* om. V. cf. Nauckii TGF² p. 759); tum p. 217, 24 *εἴη ἂν οὖν τὸν ἔποπα ἐσκευοποιηκὼς τῆι Πανδιονίδι τετραλογίαι, ἣν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις ἀναγράφει.* Bonum latere auctorem apparet, isque didascalias Aristoteleas inspexit, quam operam grammatici, etiamsi res flagitabat, haud ita raro fugerunt. Unum ex iis exemplis quae in scholiis Aristophaneis haud pauca exstant, hoc ipso loco praebet scholiasta qui scripsit l. 18 *Τηρεὺς ἢ Ἔποψ*, nam num Epops tragoediae titulus fuerit, iure dubitat Nauckius l. l. Id vero ex utraque interpretatione cognoscitur Philoclis Pandionidem tetralogiam grammaticis veteribus non praesto fuisse. Unde igitur quis initium Pandionidis afferre potuit? Auctorem quidem unum allatum videmus, Aristotelem in didascaliis.

1) Meinekius hist. crit. p. 6. 229.

plane mira est neque cuiquam hodie probabitur. Sed Wilamowitzius (l. l. p. 617 sq.) quoque scribit: er gab auch Untersuchungen über die Personen der Dichter[1]), ging also sicher über eine bloße Reproduktion der Urkunde hinaus, et revera, quamvis non dubium sit, quin Aristoteles comoediae explicandae in didascaliis operam non navaverit, quaerendum est, ecquid novi de eius ratione in opere conficiendo adhibita ex scholio illo efficiatur. Interpretatio autem scholii dubia est, nam tales de poetis quaestiones ab Aristotele in ipsis didascaliis propositas esse scholiastae verbis minime pro certo probatur. Sitne vero omnino de quaestionibus cogitandum, diiudicare non possumus, priusquam quid Aristoteles de hac re in archontis actis invenerit consideraverimus. Cum autem apud archontem poetae demotico carere vix possent[2]), Aristoteles poetarum nomina demotico instructa repperisse putandus est. Sed rettulitne demotica in didascalias? Quod quamquam propter scholion illud praefracte negandum esse non dixerim — nam exstantibus in didascaliis Cinesiarum nominibus variis demoticis instructis Aristoteles duos fuisse Cinesias tradere dici poterat — tamen facilius verba illa explicari videntur, si in didascaliis poetae nomen additamento quale est *πρεσβύτερος* vel *νεώτερος* vel *δεύτερος* instructum fuisse existimamus. Talia additamenta etiam in titulis agonisticis legimus (974 c 3. 4. 11 p. 45 W. 975 b 10. tab. post p. 68 W) neque iam dubitabimus ea ex Aristotelis didascaliis ducere. Scholion igitur ad Ar. Av.

1) item Gerhardius de Aristarcho Aristophanis interprete. Diss. Bonn. 1850 p. 11.

2) cf. de poetis Latinis Leo Plaut. Forsch. 71: daß Plautus aus Sarsina gebürtig war, wird aus den Akten über die Aufführungen seiner Stücke ersichtlich gewesen sein, denn es war für die Bezeichnung seiner Person und ihres Rechtsstandes in einem öffentlichen Dokument wesentlich.

1379 similem in modum intellegendum est ac Rhesi argumentum (p. 324, 8 Schw.) ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, unde non sequitur Aristotelem in didascaliis quaestiones de fabularum auctoritate instituisse, sed id unum efficitur Euripidem tragoediam dedisse cui nomen esset Rhesus[1]. Neque igitur Aristotelem in didascaliis quaestiones de poetis proposuisse neque ad ea quae archontis acta praebebant ex ipsius doctrina quicquam addidisse ex scholio illo discimus, sed id unum videmus eum demotica omnino omittentem ὁμωνύμους quos ipse variis demoticis distinctos invenisset additamentis qualia nunc in titulis exstant distinxisse. Quam ad rem quaestione quadam opus erat, neque vero ultra ea quae archontis tabulae continebant progrediendum erat. Ipse enim ordo quo poetarum vel histrionum nomina in tabulis apparebant ostendebat, quis fuisset πρεσβύτερος et quis νεώτερος.

Nunc accuratius in eam quaestionem incumbendum est, qui fuerit operis Aristotelei ambitus. Atque ultra ea quae legimus in didascaliis lapidibus incisis longe excessit, quippe qui ne lyrica quidem certamina praetermiserit. Et dicat quis eum qui didascalias lapidibus incidendas ex Aristotelis libro excerpserit, ea quae ad certamina lyrica pertinebant omisisse, quaecumque autem de scaenicis certaminibus continebantur, et ipsum lapidibus mandanda integra exscripsisse. Solvenda igitur instat quaestio haec: fueruntne didascaliae Aristoteleae de ipsis scaenicis certaminibus uberiores quam didascaliae lapidibus incisae? Cuius quaestionis exordium sumatur a schol. Ar. Ran. 404 supra allato. Hoc de synchoregia Aristotelis testimonium Rosius inter didascaliarum fragmenta (630) affert, Reischius[2] autem, quem secuti sunt

1) cf. schol. Rhes. 528. G. Hermannus opusc. III 264. 269.
2) RE V 1, 396, 58. 398, 7.

Wilhelmus[1] et Wilamowitzius[2], Aristotelem choregorum mentionem fecisse negant. Et legimus choregum in argumento ad Aeschyli Oresteam, neque in Alcestidis Euripideae argumento (p. 215, 1 Schwartz) quin olim choregi nomen traditum fuerit, dubium est (Τεισίας ἐχορήγει coniecit Wilamowitzius[3]). Didascaliis quidem quaecumque in fabularum argumentis leguntur non posse vindicari vel ex additamentis οὐ σώιζεται et οὐ σώιζονται[4]) apparet. Sed quomodo grammatici Alexandrini de fabularum choregis certiores fieri poterant? Poterant aliquo modo de victricium fabularum choregis ex fastis titulisque choregicis, sed Euripidis Cressarum Alcmeonis Telephi Alcestidis tetralogia secundas non primas tulit. Omnino autem illos viros grammaticos in eo ut fabularum choregos indagarent, operam collocasse vix probabile est, neque quisquam minore iure id affirmare potest quam ii qui Aristotelem choregos praetermisisse ideo contendunt quod de choregis certiores fieri hominum litterarum historiae studiosorum nihil interfuisset. Ergo revera illud Aristotelis apud scholiastam in Ran. 404 ex didascaliis sumptum esse puto, unde etiam Alexandrinis viris doctis choregorum nomina nota erant. Choregorum et histrionum. Nam histrionum quoque nomina ab Aristotele tradita fuisse, id quod supra dixi, nunc forsitan iam minus improbabile videatur. Et ex didascaliis choregorum histrionumque nomina in fabularum argumenta illata sunt. Homines docti quidem Aristophanem Byz. in argumentis histrionum choregorumque mentionem fecisse negare solent, mihi autem verisimilius videtur mentiones illas, quae nunc admodum

1) p. 35.
2) l. l. p. 614.
3) in Phoenissarum quoque arg. (p. 244, 14 Schw.) olim choregi nomen exstitisse coniecit Wilamowitzius.
4) argg. Ar. Ach., Eur. Med. Phoen.

paucae servatae sunt[1]), ab Aristophane factas a posterioribus, quorum nihil interesset, fere omnes esse omissas quam contra ab Aristophane omissas a posterioribus partim esse additas. Posteriores, qui ipsam didascalicam argumentorum partem haud raro pessumdederunt, histrionum choregorumque nomina fere non servasse mirum non est. Ceterum, si verum est, quod praeeuntibus aliis Wilamowitzius[2]) dixit — et est sane quam probabilissimum — Latinarum fabularum didascalias, quarum imprimis Terentianas novimus, ad exemplum argumentorum ab Aristophane Graecis fabulis praemissorum confectas esse, inde quod in didascaliis illis qui fabulam egerit traditur, Aristophanem πρωταγωνιστοῦ mentionem fecisse fortasse iure colligas. Sed cum res Romae aliae fuerint atque Athenis, inde argumentum ducere non audeo. Cur Aristophanes histrionum mentionem fecerit, iure quaeras, et esset sane quam maxime mirum, si de uniuscuiusque fabulae protagonista peculiarem quaestionem instituere ei opus fuisset. Sed veri est simile eum histrionum nomina eodem loco quo cetera quibus ei opus erat invenisse. Qua de re iam constaret, si Rosii coniectura in arg. Ar. Pac. I *ἐνίκα Ἕρμων ὑποκριτής* (pro *ἡνίκα ἑρμῆν λοιοκρότης*) certa esset. Atque egregiam eam esse et quam maxime probabilem nemo negare potest[3]); quam si accipimus, habemus exemplum quo Aristophanes praeter ipsius fabulae actorem (*τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος*) eius histrionis nomen qui ex histrionum certamine victor discesserat tradiderit. Quod cur fecerit, nullo modo intellegere possumus nisi ita ut Aristophanem eodem loco quo ipsam fabulae didascaliam histrionis victoris nomen invenisse putemus.

1) in argg. Aesch. Agam., Eur. Alc., Ar. Pac I.
2) Eur. Herc. I[1] p. 145 adn. 35.
3) cf. Rohdius opusc. II 419 (= Mus. rhen. 38, 286).

Iam non futuros esse confido qui titulorum didascalicorum originem Aristoteleam propterea non admittant quod in iis histrionum nomina exstant[1]).

Quod autem choregorum quoque nomina in didascaliis Aristoteleis tradita fuisse vidimus, magni momenti est ad solvendam aliam quaestionem, eam scilicet, unde fasti originem ducant. Qua de re varie sentiunt viri docti[2]). Atque id quidem mihi probaverunt fastos, qui titulorum agonisticorum antiquissimi sunt, haustos esse ex libro quodam Aristotelis, talium studiorum auctoris[3]). Tum vero nobis quaerentibus, quae tandem fastis contineantur quin in Aristotelis didascaliis tradita fuerint, quid occurrit? Aristoteles ut in scaenicis certaminibus referendis non solum poetas sed etiam histriones nominavit, sic in certaminibus lyricis non solum chori magistrorum sed [illegible]agorum quoque certantium nomina rettulisse putandus est. Ergo cum fasti nihil exhibeant quod a didascaliis Aristoteleis alienum fuerit, non solum titulos didascalicos (972 sqq.) sed etiam fastos (971) ex Aristotelis didascaliis originem ducere affirmare ausim. Quae sententia, quod ad didascalias Aristoteleas attinet, confirmatur eo quod usquequaque Aristotelem in conficiendo opere eam rationem secutum esse vidimus, ut nec plus nec minus traderet quam ea quae in archontis tabulis de musicis Atheniensium certaminibus Dionysiis Magnis Lenaeisque habitis tradita repperisset. Ac ne quod ad fastos quidem attinet, iustum argumentum huic sententiae obstare puto. Neque enim inde quod Aristoteles tum cum

1) Id quod moneo propter Wilamowitzium GGA 1906, 617: übrigens ist keine Spur davon erhalten, daß Aristoteles sich für die Schauspieler interessiert hätte.

2) cf. Reichius RE V 1, 398, 38 sqq. Wilhelmus p. 257. A. Koertius Class. phil. 1, 393.

3) cf. Reischius Zeitschr. f. öst. G. 1907, 314 sq.

haec inscriptionum series lapidibus mandabatur non Athenis erat, argumentum quo refutetur sententia mea colligi potest[1]. Nam qui ex Aristotelis opere fastos excerpsit — nec plane indoctus scriba fuisse putandus est — de reliquis annis testimonia ex archontis actis addere poterat. Ceterum revera inter a. 346 et 342 fastos exarari coeptos esse secundum ea quae dixit Reischius[2]) non videtur constare. Imprimis autem haec nova de fastis sententia eo commendatur quod solvit difficultatem qua viri docti adhuc tenebantur. Propter ipsam enim talis quale fasti sunt operis naturam, quominus Aristoteleum id esse crederent, aegre abstinere poterant, mirabantur autem, cur Aristoteles opus confecisset quo viri docti litterarum historiae studiosi de iis quae scire eorum potissimum interesset certiores non fierent. Qua de re non iam solliciti sumus. Aristoteles enim hominum litteratorum studiis non melius consulere potuit quam quaecumque in archontis tabulis reppererat tradendo integra, id quod revera eum fecisse intelleximus. Quo ex thesauro electus facere quivis homo non plane rudis poterat. Atque fasti quidem ad illustrandam Dionysi theatri historiam[3]) nec non benevolentiam munificentiamque a civibus dierum festorum glorificandorum gratia praestitam compositi sunt. Quod si sumemus, quam non hominibus litteratis usui sint, non iam mirabimur.

Quod ad didascaliarum Aristotelearum formam attinet, auctor nihil habebat quod continua oratione exponeret. Per indicem igitur dispositae fuisse videntur, cui formae non repugnant brevia additamenta, qualia de Aminia 974 c. 13

---

1) A. Koertius l. l. p. 393 hoc argumento usus fastos ab Aristotele confectos esse negavit.

2) Zeitschr. f. oest. G. l. l. p. 297 sq.

3) cf. Reischius l. l. p. 315. RE V 1, 399, 50.

(p. 45 W) οὗτος ἔφηβος ὢν ἐνεμήθη legimus, de Menandro ex Anon. π. κωμ. verbis p. 9, 71 K ἐδίδαξε δὲ πρῶτον ἔφηβος ὢν (cf. Wilh. p. 47) scripta fuisse colligimus. De illis autem adnotationibus quas in fastis legimus 971 d 6 (p. 23 W) παλαιὸν δρᾶμα πρῶτον παρεδίδαξαν οἱ τραγωιδοί et 971 g 6 (p. 28 W) παλαιὸν δρᾶμα παρεδίδαξαν οἱ κωμωιδοί, fortasse aliter iudicandum est. In didascaliis de annis 387/6. 340/39 nihil insigne nisi hoc primum traditum fuisse puto: παλαιᾶι· ὁ δεῖνα (histrio) . . . (tragoedia 386, comoedia 339) τοῦ δεῖνος (poetae), fastis autem ex didascaliis excerptis, quippe qui veterum fabularum commissionum praeterea mentionem non facerent, pluribus verbis opus erat. Scholiastae ad Aristoph. Ran. 404 testimonium non aliter ac schol. Av. 1379 intellegendum esse videtur, scil. ita ut Aristotelem duorum choregorum nomina rettulisse putemus.

Iam quaestio eo deducta est, ut summam rem paucis verbis complecti possimus. Intelleximus Aristotelis librum omnia quae tituli agonistici continent exhibuisse, id quod non ea ratione adhibita investigavimus ut quaecumque tituli praebent didascaliis vindicaremus, sed ea ut universam antiquam de scaenicae Atticae poesis historia memoriam perscrutaremur et cum titulis agonisticis conferremus. Qua ratione adhibita Aristotelis librum multo uberiorem fuisse cognovimus quam ulla illorum titulorum series — id quod moneo imprimis propter didascalias lapidibus incisas, quae fere μεταγραφή eius Aristotelis libri partis quae ad scaenica certamina spectaverat vulgo habentur — uberiorem quoque quam universi tituli agonistici, quippe qui omittant nomina choregorum non victorum, item chori magistrorum inde ab a. fere 380. In universum Aristotelem eam rationem secutum esse vidimus ut quaecumque in archontis actis de musicis certaminibus Dionysiis Magnis Lenaeisque habitis reppererat integra traderet. Quo iacto fundamento

annexae quaestiones ad litterarum historiam spectantes utrum ab Aristotele ipso an a grammaticis Alexandrinis vel Pergamenis instituerentur, haud multum intererat; quin etiam melius faciliusque institui poterant quam ab illo ab his quibus tantae praesto erant bibliothecae, horumque de operibus didascalicis nunc disseram. Sed priusquam ad haec tempora posteriora descendam, de ipsius Aristotelis altero libro didascalico *νῖκαι Διονυσιακαὶ ἀστικαὶ καὶ Ληναϊκαί* inscripto pauca dicenda sunt.

Quo de opere nusquam apud scriptores antiquos allato coniecturas proferre vix utile videtur, et confiteor neque Reischium[1]) neque A. Koertium[2]) quod ad hunc librum attinet plane mihi persuasisse.

Id enim ex iis quae de Aristotelis didascaliis investigavimus apparere videtur nullas victorias sive a poetis sive histrionibus sive choregis reportatas Aristotelis *Νίκαις* vindicari posse quas didascaliae non complexae essent. Fortasse igitur *Νῖκαι* merum excerptum erant, neque vero constat eas inter ea excerpta esse quorum fragmenta nos ante oculos habemus, fastos dico et victorum catalogos. Sed alia patet via. Eam enim operis partem quae victorum nomina continebat historia ludorum scaenicorum antecessisse potest, sicut Pythicorum ludorum historia Pythionicorum catalogum[3]). Pro certo autem nihil affirmari potest.

Quod ad reliqua antiquitatis opera didascalica attinet, tantum de argumentorum fabulis praemissorum parte didascalica accuratius edocti sumus. Sed ut pristinam harum

1) Zeitschr. f. öst. G. 1907, 314 sq.
2) Class. phil. 1, 391 sqq.
3) cf. Dittenbergerus Syll. inscr. Graec.² 915 adn. 4. Dielesius Herm. 36, 179 adn.

didascaliarum naturam cognoscamus, quaestione opus est, nam magna ex parte misere corruptae sunt. Quam quaestionem supra (p. 41 sq.) institui, ubi ostendere conatus sum has didascalias ab Aristophane Byzantio multo uberiores institutas esse quam nunc sunt. Olim enim et histrionum et choregorum nomina continebant, nunc haud semel ne poetarum quidem certantium nomina integra servaverunt. Ut enim choregorum histrionumque nomina plerumque, ita poetarum nomina haud raro ex parte omissa sunt, atque imprimis eorum poetarum qui nomen eius poetae cuius fabulae argumentum praemissum erat sequebantur. Quod satis erat ad cognoscendum, quo praemio ea fabula digna habita esset. Neque enim equidem dubito, quin haec argumentorum condicio ex iniquitate temporum explicanda sit, neque probatur mihi Dieterichi[1]) sententia, secundum quam ipse Aristophanes Byzantius nomina eorum poetarum qui fabulae auctore inferiores ex certamine decesserunt praetermiserit. Quae sententia de argumentis Euripideis prolata non modo non ad Aeschylea et Aristophanea (cf. arg. Aesch. Sept., Ar. Ach. Eq. Nub. Vesp. Pac. Av. Ran. Plut.), sed ne ad Euripidea quidem quadrat argumenta, inter quae arg. Hippolyti non solum Euripidem qui primas, sed etiam Iophontem Ionemque qui secundas tertiasque tulerunt, commemorat. Sed haec de harum didascaliarum ambitu.

Nunc alia quaestio solvenda est, scil. quae earum fuerit ratio quod ad *ποιητήν* et *διδάσκαλον* attinet. Quam ad quaestionem instituendam unde proficiscamur, habemus argumentum Aristophanis Vesparum. Cuius de argumenti procul dubio haud leviter perturbati emendatione tanto opere certatum est inter homines doctos[2]), ut quaestionem denuo

1) RE VI 1252.
2) cf. Boeckhii CIG I p. 351. Meinekius quaest. scen. II

instituere vix audeam. Tamen necessarium est, cum sententiae hodie ut videtur receptae adstipulari non possim. Ante omnia enim *Προάγων* fabula, in Vesparum didascalia commemorata, fabula Philonidis fuisse creditur: cf. Petersenus l. l. p. 664 sq. Hillerus Herm. 7, 404. Kaibelius RE II 978. Kirchnerus Prosop. Att. II 14904. p. 389. Wilhelmus Urkunden p. 113 „Philonides mit seinem Proagon". Sed denuo rerum condicionem consideremus. Novimus Aristophanis fabulam *Προάγωνα*[1]), ignoramus Philonidis fabulam *Προάγωνα*, scimus Philonidem fabulas Aristophanis docuisse. Profecto, utrum Aristophani an Philonidi Praeludium adscribenda sit, vix dubium videtur. At fieri potuit, ut Philonides duas fabulas eodem die festo doceret? Haec est difficultas, quae tamen vulgata illa sententia non tollitur. Supra enim demonstrasse mihi videor illis temporibus archontem veros fabularum auctores non curasse, sed cum magistris tantum ei rem fuisse. Tum vero Philonidem et ad ipsius et ad Aristophanis fabulam docendam ab archonte choros impetrasse non minus incredibile videtur quam ad duas ab ipso scriptas fabulas docendas. Illud enim testimonium quod inde a G. Dindorfio[2]) affertur ad probandum licuisse poetis pluribus comoediis in certamen descendere — titulum dico 972, 12. 14 (p. 51 W) — quomodo intellegendum sit supra (p. 19 sq.) ostendi. Quae cum ita sint, Philonidem et Aristophanis Vespas et ipsius Praeludium non facilius quam Aristophanis et Vespas et Praeludium docuisse credere possumus. Praeterea neutra sententia aliam ob causam veritatis speciem habet. Nam et id miremur, cur Aristophanes fabulam docendam Philonidi mandaverit

p. 39. Petersenus Fleckeiseni annal. vol. 85 p. 663 sqq. Leo Mus. rhen. 33 p. 404 sqq.

1) Kock. CAF I 509 sqq.

2) de Aristophanis fragmentis p. 68.

et ipsi eodem die festo ipsius comoedia in certamen descensuro, et id cur Aristophanes utramque fabulam Philonidi mandare maluerit quam alteram per Philonidem, alteram aut ipse aut per Callistratum committere. Haec omnia, quae pluribus fortasse verbis quam post Wilamowitzi anal. Eurip. p. 153, 4 opus erat exposui, me impediunt ne Philonidem et Vespas et Praeludium docuisse credam. Iam eo deducta est quaestio ut id nobis diiudicandum sit utrum Vespas an Praeludium Philonides docuerit. Opem fert Anonym. *π. κωμ.* p. 8, 44 K. *τὰς μὲν οὖν πολιτικὰς τούτωι* (*Καλλιστράτωι*) *φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδηι.* Cuius de testimoni fide dubitari potest, cum nihil nimirum de Aristophanis consuetudine traditum fuerit; tamen eius pretium non est nullum, dummodo recte eo utamur. Neque enim quaestio ita proponenda est, sitne hoc testimonium verum an falsum, sed ita ut quaeratur quomodo ortum sit. Atque equidem ita id intellegendum esse censeo ut ad eas tantum comoedias referatur quas Aristophanes non ipse sed per alium in certamen commiserit[1]): in fabulis inter chorodidascalos distribuendis Aristophanes grammatico cuidam illam rationem secutus esse visus est, id quod vix factum esset, si Vespae a Philonide data esset. Sequitur Vespas non esse doctam a Philonide neque a Callistrato sed ab ipso Aristophane. Proagonem autem revera in Euripide aliisque poetis tragicis irridendis versatam esse Bergkius ostendit apud Mein. FCG II 2, 917. 1137[2]). Praeterea aliud exstare mihi videtur

1) Fabulae igitur ab ipso Aristophane doctae ab Anonymo non respiciuntur, et falsi sunt qui ex hoc loco Nubes quoque a Philonide doctam esse colligunt: Bergkius ap. Mein. FCG II 2, 914. Brielius de Callistrato et Philonide. (Diss. Berol. 1887) p. 48. Kirchnerus Prosop. Att. I 2090 p. 142. II 14904 p. 389.

2) cf. Wilamowitzius obs. crit. p. 12.

testimonium, quo Vespas non a Philonide sed ab ipso Aristophane doctam esse discimus, schol. dico ad Vesp. v. 1284 *ἄδηλον, πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ' αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους, καὶ μὴ εἰσαγωγῆς ἀλλὰ ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. ἐκεῖνά τε γὰρ ἀναπολεῖν ἀρχαιότερα ἔσται, νῦν τε ὡς περὶ αὑτοῦ λέγει.* Testimonia diserta de illa Aristophanis sive Callistrati cum Cleone simultate grammaticis praesto non fuisse neminem explicationes ad locos quibus Aristophanes illam significat a grammaticis prolatas, necnon ea quae narrat Anonym. de Ar. vita p. XXVII 27 sqq., p. XXVIII 15 sqq. Dbn. examinantem fugiet[1]. Itaque cum nihil iis relinqueretur nisi ut secundum ipsorum opinionem decernerent — id quod nobis quoque relinquitur — hunc grammaticum non Aristophanem sed Callistratum Babyloniorum fabula data a Cleone accusatum esse pro explorato habere videmus. Stabat ei sententia in eiusmodi causis non poetam sed magistrum in ius vocari, Acharnensiumque locos illos ita intellegebat ut chorus histrionesque non ex poetae sed ex magistri persona loquerentur. At cur hoc Vesparum loco diversum in modum chorum non ex magistri sed ex poetae persona loqui putaret? Cur de Philonidis persona omnino non cogitat? Quod nescio an non aliter explicari possit nisi ita ut hunc scholiastam Vespas ab ipso Aristophane doctam esse persuasum habuisse neque iam huius scholiastae temporibus Vesparum didascaliam talem in modum depravatam fuisse censeamus qualem nunc videmus. Itaque adstipulor Peterseno[2] qui didascaliae verba *διὰ Φιλωνίδου* induxit. Quae interpolatio Hillero[3] inaudita visa

1) cf. Leo Plaut. Forsch. 67.
2) l. l. p. 663.
3) Phil. Anz. 17, 379.

est, ego vero quomodo orta sit explicari posse puto. Omnis enim perturbationis causa una fuisse videtur: haec fere omissis histrionum choregorumque nominibus in argumento scripta fuisse fingamus: *ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου εἰς Λήναια καὶ ἐνίκα α. Φιλωνίδης Προάγωνι β, Λεύκων Πρέσβεσι γ.* Falso iuncta sunt verba *ἐνίκα α Φιλωνίδης* . . .; itaque cum Philonides praemium primum accepisse videretur, *διὰ Φιλωνίδου*, quod ex aliis Aristophanis fabularum argumentis notum erat, victrici fabulae adscriptum est. Alius quidam ex alio codice talis perturbationis experte verba *β ἦν* ad Philonidem adscripsit, unde eo quo nunc miramur loco inserta sunt. Denique ut hanc depravationis explicationem probabiliorem reddam, exemplum afferam didascaliae similem in modum corruptae, argumentum dico Aristophanis Ranarum, ubi codices[1] haec praebent: Rav. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια. πρῶτος ἦν. Φρύνιχος β* V *σαῖς* (*Μούσαις*), *Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι.* Ven. *ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια. πρῶτος ἦν Φρύνιχος, Πλάτων τρίτος Κλεοφῶντι.* In V verba *πρῶτος ἦν. Φρύνιχος* falso iuncta sunt, unde factum est ut *β Μούσαις* post Phrynichum exciderent.

Ceterum Vespas non secundas sed primas tulisse iam dudum multis hominibus doctis constat cf. Boeckh. CIG I p. 351. Cobetus obs. crit. in Plat. com. rel. p. 85. Leo M. Rh. 33, 404. Kaibelius RE I 978. Hanc de Vesparum argumento quaestionem totam proposui, quia iudicium nisi de tota didascalia emendanda ferri non potest. Ac scire Vespas non a Philonide sed ab ipso Aristophane doctam esse magni est momenti, nobis nunc satis est statuisse hanc Proagonem fabulam Aristophanis fuisse, nec tamen in

1) inspexi exemplaria phototypice expressa.

Vesparum didascalia veri auctoris mentionem fieri. Quod olim, cum ex illis *διὰ Καλλιστράτου, διὰ Φιλωνίδου* quae in Aristophanis fabularum argumentis leguntur Aristotelem in didascaliis in eiusmodi causis idem rettulisse colligebatur, perquam mirum et incredibile erat. Nunc non modo non mirum videtur, sed confirmat quod supra demonstravimus, scil. Aristotelem veri auctoris mentionem non fecisse. At quomodo hoc consentit cum illis *διὰ Φιλωνίδου, διὰ Καλλιστράτου*? Optime. Aristophanes Byz. enim, si fabula ad quam scribebat argumentum non per poetam sed per alium docta erat, facere nimirum non potuit quin scriberet *ἐδιδάχθη . . . . διὰ τοῦ δεῖνος*, de ceteris autem fabulis eodem die festo commissis didascaliam fere talem qualem in Aristotelis libro invenerat reddidit. Qua ratione perspecta ne minimum quidem habet miri quod legimus in Vesparum argumento *Φιλωνίδης Προάγωνι;* in Proagonis scilicet argumento *ἐδιδάχθη διὰ Φιλωνίδου* legeremus. Aristophanis igitur Byz. quae fuerit ratio iam patet.

Ceterum conferendae sunt cum argumentis Aristophaneis didascaliae Plautinae et Terentianae, quas ad exemplum argumentorum Aristophaneorum confectas esse iam dudum intellexerunt viri docti (cf. supra p. 42). Et respondent fere aediles chorego, actor sive dominus gregis protagonistae. Qui modos fecerit, item qualibus tibiis cantatum sit, nihil habent quibus respondeant in Graeco. Quae omnia Varro in commentariis magistratuum invenire potuit[1]); non potuit invenire fabularum numeros quos legimus in calce didascaliarum Terentianarum (v. c. in didascalia Adelphorum: facta VI). Immo, quota quaeque fabula facta esset grammaticis quaerendum erat[2]). Numeros illos Plautinis quoque

1) cf. F. Schoellius mus. rh. 31, 470.
2) de Hecyra »facta V« cf. Leo mus. rh. 38, 320 sq.

didascaliis additos esse affirmari nequit, nam ne id quidem constat Varronem omnium fabularum Plautinarum didascalias conficere potuisse[1]). Sed quae intercedit ratio inter hos numeros et illos quos in argumentis fabularum nonnullarum Graecarum legimus (Soph. Ant. *λέλεκται δὲ τὸ δρᾶμα τοῦτο λβ′*; Eur. Alc. *τὸ δρᾶμα ἐποιήθη ιζ′*; Ar. Av. (p. 478 Dbn.) *ἔστι δὲ λε′*)? Olim viri docti horum numerorum vim eandem esse in argumentis Graecis atque in didascaliis Romanis putaverunt[2]). Sed haec sententia stare non poterat, quippe quae pugnaret cum omnibus numeris traditis. Quod argumentum etiam in eos cadit qui numeros illos ad indices fabularum *κατὰ στοιχεῖον* compositos spectare censent. Tamen haec sententia aliquo modo fulciri videtur eo quod in Cratini Dionysalexandri argumento Oxyrhynchi reperto[3]) numerus *η̄* apparet, qui consentit cum elencho fabularum Cratinearum secundum ordinem litterarum ab A. Koertio[4]) digesto. Sed num iure hic vir doctissimus huic numero eandem vim atque illis supra allatis attribuerit valde dubito. Cratini enim Dionys. argumentum illud *η̄* in ipso titulo praebet:

Διονυσ[αλέξανδρος
η̄
Κρατ[ίνου,

in illis autem argumentis numerus in fine i. e. prope partem didascalicam apparet. Quod discrimen non sine aliquo momento esse videtur. Nam *η̄* in Crat. Dion. arg. ad eum ordinem spectat quo Cratini fabulae in ipsa editione cuius folium manibus tenemus dispositae erant, et eum revera *κατὰ στοιχεῖον* compositum fuisse Koertius probavit. Quae

1) Leo Plaut. Forsch. 13, 2.
2) cf. Ritschelius parerga p. 322 sqq.
3) Oxyrh. pap. IV 663 p. 69 sqq.
4) Herm. 39, 485.

reliquorum illorum numerorum vis esse non potest, neque enim in editionibus Euripideis Sophocleis Aristophaneis, quas codices nostri repraesentant, aut Alcestis XVII aut Antigona XXXII aut Aves XXXV locum obtinet, neque omnino veri simile est editorem v. c. Euripidearum fabularum editionem in qua Alcestis locum XVII obtineret parantem hunc numerum loco tam non eminenti positurum fuisse. Neque ipsa verba (*λέλεκται δὲ τὸ δρᾶμα* . .) hoc probant, sed antiqui editores more a nostro non alieno nudum numerum prope ipsum fabulae indicem posuisse putandi sunt. Quod — si testimonio opus est — ipsum Cratini Dion. argumentum docet[1]). Ergo rursus ratio numerorum plane obscura videtur.

Tamen Wilamowitzium in Eur. Herc. I[1] 150 (necnon in Anal. Eur. 133sqq.) paene rectum vidisse dixerim. Dummodo ne, ut ceteri viri docti quantum videam omnes, numeros illos ab ipso Aristophane Byzantio additos esse censeret[2]). Nam quid Aristophanes Byzantius numeris hoc vel simili modo: *λέλεκται δὲ τὸ δρᾶμα* . . additis indicare voluerit revera nemo explicare potest. Sed quamvis argumenta fabularum Aeschylearum Euripidearum Sophoclearum Aristophanearum ab Aristophane Byz. originem ducere certum sit, non minus constat multa in iis inesse quae non sint Aristophanis. Inter quae etiam numeros illos esse crediderim. Tamen, ni fallor, rarissimae doctrinae vestigia sunt. Nam — ut tandem dicam quid ipse sentiam — revera ad ordinem fabularum in editionibus Aristophaneis servatum

1) praeterea cf. numeros fabularum in codicibus Euripideis: Wilamowitz Anal. 136.

2) Anal. 133 »Aristophanes ambabus notis idem indicare voluisse putandus est«. ib. 143 »teste Aristophane Byz. Alcestis decimo septimo inter Euripideas loco, Antigona inter Sophocleas tricesimo altero legebatur«.

spectant, scil. doctus ille grammaticus qui v. c. Euripidis editionem commentario instruendam fortasse primam curabat, relegavit lectores ad eam editionem quae ad id tempus summa auctoritate fruebatur. Quae sententia certis argumentis probari nequit. Sed res ita comparata est ut id tantum quaeri possit quaenam explicatio summam veri speciem prae se ferat. Et respiciamus sententias adhuc prolatas: illam secundum quam numeri quota fabula a poeta scripta sit indicent, hodie iam nemo defendet; deinde illi secundum quam ad catalogum fabularum *κατὰ στοιχεῖον* concinnatum spectent, ipsi numeri refragantur; denique illi secundum quam idem significent quod *η̄* in arg. Crat. Dion. repugnat argumentum quod supra exposui (p. 54). Tamen apparet duabus proximis sententiis inesse aliquid eius quod ego verum esse contendo.

Habemus igitur numeros quos Aristophanes Byzantius in ipsa fabularum inscriptione — eo ipso loco quo nunc in arg. Crat. Dion. *η̄* exstat — adscripsit, additas in calce argumenti. At dicat quis, cur ad ipsius Aristophanis Byzantii editionem numeri spectare putandi sit? Primum propterea quod Aristophanis Byzantii editionum celeberrimorum tragicorum necnon Aristophanis summa erat auctoritas, tum quod Aristophanes Byzantius certe in Euripide edendo rationem fabularum disponendarum talem secutus esse videtur ut neque litterarum ordinem — *κατὰ στοιχεῖον* dico — vulgari modo neque temporum ordinem servaret[1]). Porro satis antiquo tempore notas illas argumentis ab ipso Aristophane Byzantio fabulis praemissis additas esse fortasse inde efficias quod tam rarae aetatem tulerunt, et ne hae quidem paucae integrae servatae sunt, sed in arg. Alc. nota male intellecta abiit in . . . *ἐποιήθη* . . . Ceterum Aristo-

1) cf. Wilamowitzius Anal. l. l. Herc. I[1] 150. 207sqq.

phanis Byzantii rationem in disponendis fabulis unam eandemque in omnibus poetis fuisse affirmari nequit, et in edendo Aristophane fortasse aliam rationem secutus est, aliam in Euripide. Tamen ne ibi quidem res ad liquidum perduci potest. Nam coniectura Koertii qui[1]) in arg. Ar. Av. *λα'* pro *λε'* poni vult, ut numerus congruat cum indice fabularum Aristophanearum Novatiano[2]), non multum lucramur. Aristophanis enim editio ab Aristophane Byzantio confecta alteram tantum Pacem continuit[3]), ita ut Aves inter fabulas *κατὰ στοιχεῖον* collocatas locum tricesimum primum obtinuisse non possit. *λ'* autem pro *λε'* scribere nemo audebit. Et qui numeros illos eo consilio ut lectores ad editionem Aristophaneam relegarentur additos esse censet, ei omnino haud ita probabile erit in hac editione merum litterarum ordinem servatum fuisse. Tum enim quaevis fabula in hac editione tam facilis erat inventu, ut notis illis vix opus fuerit. Denique quod ad numeros in didascaliis Terentianis exstantes attinet, non modo non ad exemplum horum Graecorum additi sunt, sed ne post quidem Graecos scripti videntur esse.

Aliorum operum didascalicorum notitia nostra perexigua est. Monumentum didascalicum Romae exstructum, cuius fragmenta supersunt IG XIV 1097. 1098. 1098a (cf. Cappsius Class. phil. 1), A. Koertius[4]) exemplar fuisse Callimachei operis *πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων* inscripti probabiliter coniecit. Carystii autem librum *περὶ διδασκαλιῶν* varioris fuisse argumenti

---

1) l. l. p. 485.
2) Herm. 14, 464.
3) arg. Ar. Pac. III Dbn.
4) mus. rhen. 60, 444.

Athenaeus auctor est[1]). Quo ex libro etiam Anonymi de vita Sophoclis testimonium (p. 128, 36 W) *νίκας ἔλαβεν κ', ὥς φησι Καρύστιος, πολλάκις δὲ καὶ δευτερεῖα ἔλαβεν, τρίτα δ' οὐδεπώποτε* sumptum est. Atque id quidem ex testimoniis talibus discimus fuisse libros in quibus quae summi erant momenti ex didascaliis excerpta erant. Aristoteleum enim opus propter ipsius indolem amplitudinemque difficile erat ad utendum, quaeque de poetis scaenicis imprimisque de poetis praestantissimis inerant ingenti mole eorum quae minoris vel parvi vel nullius erant momenti quasi obruta erant. Quo factum esse videtur ut Aristotelis liber non tanto opere quanto dignus esset tereretur[2]). Illis enim, ut ita dicam, enchiridiis, quibus quae scire potissimum intererat collecta erant, ipsae didascaliae ex usu remotae sunt[3]). Accessit quod argumentis fabulis praemissis didascaliarum libro lectoribus non opus erat, et nescio an primo ante Christum saeculo extra bibliothecas praestantissimas exemplaria non iam exstarent. Tertio vero p. C. saeculo, quo ex tempore Olympionicarum catalogi fragmenta servata sunt[4]), didascaliarum exemplar procul dubio frustra quaesivisses.

---

1) VI 235e *τὸν .... παράσιτον Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῶι περὶ διδασκαλιῶν εὑρεθῆναί φησιν ὑπὸ πρώτου Ἀλέξιδος.*

2) Hoc docent grammaticorum contra tempus menda haud rara, cuius rei exempla reperies apud Wilamowitzium obs. crit. p. 11 adn. 16, quibus addas schol. Ar. Thesm. 32. Nam neque de hoc neque de schol. Av. 521 persuasit mihi Cappsius Harvard studies in class. philology XV 1904 p. 62sqq.; qua de re agere non huius loci est.

3) cf. arg. Soph. OR (supra p. 35).

4) Oxyrh. pap. II p. 85.

Argumentum

Index locorum

Vita

Natus sum Guntherus Jachmann a. d. XIII kal. Iun. a. MDCCCLXXXVII in Borussiae Orientalis oppido cui nomen est Gumbinnen, patre Bernhardo matre Margareta e gente Tiessen. Litterarum elementis in ludo Goldapiae oppiduli imbutus inde a vere a. MCM alumnus fui gymnasii Regii Ioachimici Berolinensis, quod tum auspiciis Caroli Bardtii viri doctissimi et humanissimi, studiorum meorum fautoris benevolentissimi florebat.

Maturitatis testimonio instructus vere a. MCMV Gottingam me contuli, ut studiis philologicis me darem. Vere a. MCMVI universitatem Bonnensem petivi, unde post VI menses Gottingam reversus a Georgia Augusta usque ad hoc tempus non discessi.

Docuerunt me viri doctissimi C. Dilthey † Husserl G. Koerte Lehmann Leo E. Müller Pfuhl Pohlenz Schroeder Schwartz Wackernagel Weissenfels Gottingenses, Buecheler † Franck Loeschcke Wilmanns Bonnenses.

Sodalis fui regii proseminarii philologici per duo, seminarii per tria, quorum per unum senior, semestria, archaeologici per unum.

Ad exercitationes archaeologicas Loeschcke, grammaticas Wackernagel, philosophicas Husserl, germanicas Schroeder benigne me admiserunt.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas; plus vero quam verbis dicere possum debeo cum Iacobo Wackernagel tum Eduardo Schwartz et Friderico Leo quorum uterque studiis meis egregie favit, hic etiam in opusculo meo conficiendo optime mihi consuluit.
